

V
G
BIBLIOTHECA
UNIV. JAGELL.
CRACOVIENSIS




V
B
J
C



SIMONIS STAROVOLSCI POLONIA,

nunc denuo recognita et aucta.



DANTISCI,
Sumptibus Georgii Försteri, S.R.M. Bibliopolæ.
MDCLII.
Cum Privilegio S.R.M.

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

Dn. ACHATIO DE PRZYLEK PRZYLECRI CASTELLANO OSWIECIMENSI IN PIOTRKOWICE ET ZEMBRICE, Domino & Hæredi, Domino ac Patrono Obſervandiſſimo.

POLONIÆ *faciem à nemine magis expreſſam graphicè, quam à Simone Starovolſcio, conſtans invaluit jam peritiorum, quotquot ſunt, ſententia. Quum igitur inde ſit factum, ut expetatur ejus viri libellus hic indies magis, tum à patriæ civibus, tum præterea paſ-*

ſim ab exteris; meum eſt, arbitror, ut aliàs gratificari ſemper omnibus pro virili, ſic & expletum ire nunc iſthæc ipſorum deſideria. Tu vero & Senator ingens es ejuſdem Regni ampliſſimi, & favore multiplice ac gratia me totum feciſti tuum. Cuinam ergo, niſi tibi, offeram id opuſculum, in obſervantiæ debitæ gratiq; animi teſſeram ſaltem aliquã? Accipere, quicquid ejus eſt, ſereno vultu, mihiq; porro patrocinari, ne dedigneris, cernuus obſecro. Sic æternùm tibi contra bene faxit Numen. Dabam Dantiſci 7 Ianuarij 1652.

Illuſtriſſimæ Dn. *Suæ* devotiſſimus cliens

GEORGIVS FÔRSTERVS,
S.R.M. Bibliopola.



SIMONIS STARO-
VOLSCI

POLONIA,
Sive ſtatus

REGNI POLO-
NIÆ

deſcriptio.



OLONIA, antiquis Sarmatia Europæa dicta, uti nunc à ſapientiſſimo Rege, Sigiſmundo III, moderatur, octo in univerſum provincias ſub uno ſceptro continet: moribus, le-

gibus, lingua, ex parte differentes : vivendi vero genio, libertatis prærogativa, capessendorumque in Repub. honorum aptitudine, omnes ex æquo pares, & juribus necessitudinum inter se invicem adstrictas. Hoc est, Poloniam utramque, Litvaniam, Russiam, Prussiam, Masoviam, Samogitiam, Pomeraniam & Livoniam. De quibus singulis, quamvis & sigillatim & in communi, plurimi viri prudentes, tum nostrates, tum extranei, scripserint; quia tamen assidua est harum sublunarium rerum mutatio, & potentissimorum quorumvis imperiorum fatalis quædam

hæc conditio, ut ſingulis fere ſæculis ac ætatibus accipiant novas inclinationes, aut incrementa: Ideo, qualem nunc patria noſtra ſortiatur ſtatum; qualeſve ſervent ſub coronam aggregati populi, mores & conſuetudines inter ſe; quas vires; quas opes; quod regimen; quam religionem; quos denique vicinos habeant, & quam potentes: hoc ſpeciali libello perſtricta, poſteris tradere conſtitui, ut candidus lector, conſervatam hactenus, prout à majoribus noſtris accepimus, imo auctam, Sarmatiam noſtram videns, non prudentiæ alicui humanæ (ut aſſolent moderni

ni politici) aut potentiæ amplissimi Regni, hoc asscribat, sed divinæ prorsus benignitati, quæ veros sui cultores, quamvis in faucibus immanissimorum hostium positos, incolumes pro sua misericordia servat; & à primo gentis authore Lecho, in hodiernum, liberos atque florentes, nec ullius unquam jugo pressos, circumvicinis etiam populis, fœderum leges præscribere sinit.

SITUS POLONIÆ.

Regnum Poloniæ, cum adjacentibus sibi provincijs, extenditur in longum, à tricesimo octavo gradu, ad quin-

quinquageſimum quartum, ab occaſu æſtivo verſus ortum hibernum, amplius quam per ducenta quadraginta milliaria Germanica. In latum verò à montibus Carpatiis, uſque ad mare Baltheum ſeu Venedicum, per ducenta plus minus milliaria. Ab occaſu cingitur Marchia Brandeburgenſi, & Pomerania ulteriore. A ſeptentrione mari Venedico & Sarmatico, cujus adverſa littora Gotthi atque Suedi tenent. Ab ortu Moſcovia, & campeſtris Scytharum ſolitudinibus. A plaga demum Auſtrali, Valachia, Ungaria, atque Sileſia. Regio tota fere plana & aprica eſt,

nisi qua ad fines Ungariæ accedit, montana & sylvestris. Quo longius autem inde recedit, eo lenius declivis est, magisque culta, & meliore gleba. Nisi quod in meditullio minoris Poloniæ Calvus mons supereminet, in quo monasterium est S. Crucis nomine, lignoque, in quo Salvator noster pependit, celebre: reliqui colles fere in toto Regno sunt potius quam montes. Sylvestris sanè fuit superioribus temporibus pleraque omnis Polonia, non modo Lituania: sed nunc ubique diligenter excolitur, frugum leguminumque ferax, & pratis abundans. Et quamvis

cœli

cœli intemperie nimium laborat, pomaria nihilominus non infrequentia & fructuosa passim habet: in quibus pirorum, malorum, prunorum, persicorum, cerasorum, & nucum bonitas & varietas certat cum Ungaricis & Italicis. Sunt & vites pluribus in locis, quarum uvæ esui quidem non insuaves sunt, præsertim si æstas & autumnus temperiem suam servent: sed vinum inde expressum acerbius, ubi defæcatum est. Neque negat solum Polonicum castaneas, mora, cotonia, ficus, amygdalas, crocum, arisam,* pepones, melopepones, herbas & flores omnis generis, & alias hor-

* oryzam, polonica ryż

hortenſes Italiæ delicias, palatinariumque lenocinia. Nec metalla foſſiliaque deſunt, ut ſuis locis dicetur, plumbi, ferri, æris, cupri, argenti & auri. Avium quoque & altilium, magnam habet copiam: itemque jumentorum omnis generis, & ferarum; cervorum videlicet, aprorum, urſorum, luporum, ſciurorum, dorcarum, leporum, onagrorum, biſontium, caprarum, urorum, pantherarum, mardurum, vulpium, roſomacorum, lutrium & caſtorum. Similiter piſcium diverſorum, quotquot nominari poſſunt: nam fluviis, lacubus, piſcinis at-

que ſtagnis ſupra modum abundat. Inter fluvios tamen præcipui ſunt Viſtula, Donajecius, Sanus, Vieper, Varta, Noteſſius, Duna, Nemenus, Neſter, Prutus, Bugus, Bohus, Pripetius, Narva, Drevancia, Bereſina, Boriſthenes, omnes fere navigabiles. Sed ſigillatim quamlibet provinciam cum ſuis qualitatibus videamus.

MA-

MAJOR POLONIA.

Tota in universum Polonia, extenditur in longum per nonaginta milliaria Germanica, incipiens à Marchia Brandenburgensi ab occidente, usque ad Vislocam fluvium; qui è Carpatiis montibus profluens, Russiam à Polonia disterminat, & quatuor à Resovia milliaribus Sano illabitur. Latitudinem vero habet 50 mill. à prædictis montibus Carpatiis, usque ad oppidum Parcoviam, in confinibus Lituaniæ positum. Dividiturque in Majorem & Minorem.

Major verſus occaſum eſt, tota fere plana & fluviis irrigua; niſi quod Cujaviæ nonnulla pars clivoſa eſt, collibusque molliter & ad fertilitatem commode diſtincta. Habet à meridie Sileſiam, Marchiam ab occaſu & Pomeraniam ulteriorem: Pruſſiæ partem & Maſoviam à ſeptentrione, à quibus Viſtula diſterminatur: ab ortu verò Minorem Poloniam, variis, iiſque ignotis terminis diviſam, ſed quos inter Pilcza fluvius præterlabitur. Tota autem hæc Majoris Poloniæ amplitudo, in octo ſatrapias dividitur: in Palatinatum videlicet Poſnanienſem (cui & Wſchouienſe terri-

territorium adjungitur) Calissiensem , Lanciciensem , Brestensem , Junouladislaviensem (& hæ duæ satrapiæ vulgô Cujavia dicuntur) Siradiensem , Rauensem, & terram Vielunensem. Provinciæ metropolis POSNANIA est, ad fluvium Vartam, longitudinis gradu 39, latitud. 52 sita, à qua & districtus nomen habet, primumque sibi locum inter satrapias vendicat. Urbs quidem ipsa parva est, sed pulchra satis, & commerciis emporioque Germanorum exculta, suburbia amplissima habet: ubi & templum Cathedrale, cum Collegio Canonicorum, & aula Episcopi,

pi, inter paludes ſitum eſt, vulgò Valiſoviam dicunt, quæ inſtar oppidi locum munitioni aptiſſimum habet. Joannes Lubranſcius, Epiſcopus loci, memoria omnium ſeculorum & laude vir digniſſimus, publicum ibi Gymnaſium, patrum memoria, erexit, Cracovienſisque Academiæ (quæ ſemper habita eſt domicilium omnis ſapientiæ, & in qua ipſe quoque omni meliori doctrina perpolitus I. V. lauream promeruerat) Profeſſoribus curandum reliquit. Quod deinceps Adamus Conarius, ejus ſuceſſor, auguſtiori ſtructura exornavit, Comes verò Roſraſevius majoribus ſti-

pendiis auxit. Unde, quamvis Clerici Soc. Jesu, in urbe ipſa habeant ſuum Collegium, in quo ſtudioſam inventutem erudiunt, floret nihilominus in ſuburbano Lubranſcianum Athenæum, certatim eo nobilitate concurrente, ob Mathematicas diſciplinas, & Juris prælectiones. Florent & in Monaſterijs ſtudia Religioſorum; ſed præcipuè apud Dominicanos ſodales Theologia, magno auditorum concurſu, viget: pietas æquè apud omnes. Septem inde milliaribus Gneſna diſtat, cujus Archiepiſcopus Eccleſiæ Polonicæ Primas eſt, & Regni totius Primus Princeps; olimque

urbs ipſa Regni caput erat, quod nimirum à Lecho gentis authore primum erecta eſſet, & à regiæ avis omine auſpicato nomen ſortiretur. Nidus enim in Sclavonico, gnesdo, dicitur. cum autem ille in eo loco nidos aquilarum plurimos reperiſſet, urbem quam inibi condidit, à nidorum multitudine Gneſnum appellavit: pro inſigni autem militari, aquilam albam aſſumpſit, quo etiamnum Regnum Poloniæ utitur. Archiepiſcopus igitur Gneſnenſis, à Concilio Lateranenſi, in ſpiritualibus, vices ſummi Pontificis gerit, & Legatus Natus appellatur: in politicis autem, præcipuè in-

interregni tempore, Proregis authoritatem habet. Et prout Collegium illius ob excellentiam suæ Metropolitanæ Ecclesiæ, præter aliarum Cathedralium morem, Cancellarium cum dignitate habet, qui munimentorum & libertatis illorum (omnes enim nobiles esse debent, nec ad præbendas admittuntur, plebeijs orti parentibus, in ullo Capitulo Cathedrali, in tota fere Polonia, nisi certus Doctorum numerus, assignatus ex fundatione,) custos quodammodo est. Sic Archiepiscopus ipse, supra dignitatem & prærogativam aliorum Antistitum, aulicos, cubicularios pueros, aliosq;

miniſtros & ſatellites, more regio habet, & qui inter eos eminent, Cancellarium ſpecialem, atque Mareſchalcum. Quorum ille, judiciis ſpiritualibus, quæ ad curiam Archiepiſcopi devolvuntur, cum authoritate præeſt: hic, cum in publicum Princeps prodit, baculum ſeu virgam illi præfert, prout Regibus ipſis præferri in Polonia mos eſt; & aulam ipſius totam ipſe moderatur... In metropolitana itaque Gneſnenſi Eccleſia, Divi Adalberti, Archiepiſcopi olim loci illius, honorantur reliquiæ, ſepulchro in medio templi pulcherrime exſtructo; pro quibus aſſervandis, Sereniſ-

ſimus Rex Sigiſmundus III. tumbam argenteam donavit precii haud contemnendi; cum & antea ciſtæ argenteæ incluſæ fuiſſent, ſed non ita affabre exſtructæ. Habetque ſanè templum illud inæſtimabilem theſaurum in vaſis aureis, argenteis, & gemmatis; quæ veteres Principes & Archiepiſcopi tabulis legarunt; & nuper defunctus Henricus Firlei, præter alia vaſa & veſtes pretioſas, quas Eccleſiæ illi donavit, dedit etiam tiaram ſuam Epiſcopalem, viginti quatuor millibus florenorum æſtimatam. Cætera oppida ſatrapiæ Poſnanienſis ſunt, Coſtenum, Uſchovia, Slupcia, Pyſdra,

Coninum, Kcina, Kazimiria, Naclum, Curnicum, quæ & muris exornata ſunt, & non infrequentia habentur: reliqua verò omnia ſine ullis mœnibus ſunt, & nec niſi ligneis ædificiis conſtant, præter templa, & caſtella, ſive arces adjunctas, aut monaſteria Abbatiarum præpinguium, quale eſt, Landenſe, Obrenſe, Lubinenſe, Bleſovienſe, Uongrouecenſe, Paradiſenſe, Mogilnenſe, Tremeſnenſe, Præmentenſe, & reliqua Ordinum mendicantium. Senatores verò hujus ſatrapiæ ſunt, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Epiſcopus Poſnanienſis, Palatinus Poſnanienſis, & Caſtellani

lani ſeptem, Poſnanienſis, Medirecenſis, Rogoſnenſis, Stemenſis, Præmentenſis, Crivinenſis & Santocenſis. Sunt & officiales tam terreſtres, quam caſtrenſes; præfectique civitatum partim cum juriſdictione, partim ſine juriſdictione, ut in omnibus regni provinciis habere mos eſt. Poſnanienſis nihilominus præfectus, hanc prærogativam habet, ut Generalis Majoris Poloniæ dicatur, & in aliquot diſtrictibus ſuam juriſdictionem exerceat.

CALISSIUM urbs ad fluvium Przoſna inter paludes ſita: muro latericio, cum turribus, cincta, aliquot

quot religioſorum monaſteria & templum Canonicorum habet; itemque Collegium Societatis Jesu ſumptuoſiſſimum, quod Stanislaus Karncovius Archiepiſcopus olim Gneſnenſis, vir rerum civilium cognitione, cum eruditione eximia, tum prudentia, integrirate, aliiſque dotibus, in Repub. clarus, ſuis ſumptibus exſtruxit, & inibi ſepeliri voluit. Regio, ſicut & tota Major Polonia, frugibus, piſcibus, & pecoribus abundans eſt; minoribuſque oppidis admodum frequens, quorum præcipua ſunt, Stavum, Colum, Coſminum, Dobra, Grabovia, Opatovecia, Plesovia,

ſovia, Odolanovia cum arce in paludibus ſita,& Chocia, in qua nuper Reverendiſſimus Epiſcopus Cracovienſis Andreas Lipski, Eccleſiam Collegiatam & Præpoſitum inſulatum, ſumptu ingenti fundavit. Haud procul inde conſpicitur Goluchovia, arx Comitum à Leſno, recentiori architectura exſtructa: itemque parte ab alia Crotoſinum cum horto pulcherrimo Comitum Rozrazoviorum, & oppidum Borek, imagine miraculoſa B. Mariæ percelebre; ingens enim è tota Polonia eo hominum devotorum concurſus fieri ſolet, qui ſingularem ibi numinis fauorem experiuntur.

tur.

tur. Eſt & Olobocum duobus miliaribus à Caliſſio, monaſterium Monialium prædives, & pulchre in modum caſtelli ædificatum. Habet autem ſatrapia hæc Palatinum proprium, & Caſtellanos ſex, Caliſſienſem, Gneſnenſem, Landenſem, Naclenſem, Biechovienſem & Camenenſem.

SIRADIA, ad Vartam fluvium poſita, in quatuor territoria ſatrapiam ſuam dividit; in Siradienſe videlicet, Schadkovienſe, Radomſcenſe & Petricovienſe. Habetque præter Palatinum, Caſtellanos quatuor, Siradienſem, Roſpirenſem, Spicimirienſem & Conarienſem:

oppi-

oppida verò præcipua, Vidaviam, Vartam, Pabianice, Lascum, ubi olim Joannes Lascus Archiepiscopus Gnesnensis, hæres comitatus illius, Præpositum infulatum ditissimè fundaverat: auxerunt autem Ecclesiæ suppellectilem, illustres illius fratres, collatis amplissimis donariis. Septem autem milliaribus inde, est Petricovia, urbs non inelegans, in qua Regni Tribunal, seu Parlamentum, singulis annis celebratur; & aliquot stadiis inde Byki, arx Baronum ejusdem cognominis, pulcherrimè exstructa. Est & Abbatia insignis Vitoviensis in proximo: & paulò remotius Itali-

Italicæ architecturæ palatium Cruſinenſe.

Huic Palatinatui adjacet Terra Vielunenſis, quæ proprios magiſtratus habet & Caſtellanum; dividiturque in territoria, Velunenſe & Oſtreſſovienſe; quæ aliquot oppida in ſe (præcipuè Boleslaveciam cum arce munitiſſima) continent, atque pagos infinitos. Ipſa urbs Velunia pulchras domos latericias habet, & templum Canonicorum fabricæ antiquæ, itemque monaſteria aliquot elegantia: ſed quæ omnia ſuperat illud Zloczovienſe F F. Minorum de Obſervantia.

RAVENSIS ſatrapia habet Palatinum & Caſtellanos

nostres, (in tot enim territoria dividitur) Ravenſem, Sochacioviensſem & Goſtinenſem. Oppida præcipua ſunt, Rava, ligneis quidem ædificiis conſtans, ſed populata ſatis, arcem muratam habet, in qua proventuum è bonis Regiis, ſolutioni militum, quarta pars deponitur: ſic enim Reges ſuperiores voluerunt, ut aſſiduæ in Podolia, contra barbarorum excurſiones, excubiæ fierent. In eadem arce communiſſimè aſſervantur captivi hoſtes patriæ, ſi ſunt perſonæ honoratiores: qualis noſtra ætate ibi fuit, filius naturalis Caroli Regis Sueciæ, bello Livonico cum aliquot legio-
num

num Præfectis captus; & nuper Baudiſius, Guſtavi Regis Sueciæ militum Tribunus, itemque Streſſius, Taiſlius, & alij, alarum ductores, bello Pruſſico capti. Collegium hic ſtudioſorum frequentiſſimum Societatis Jesu clerici habent. Sed longè populoſius eſt Lovicium, reſidentia Archiepiſcopi Gneſnenſis, quinque milliaribus Rava diſtans. Nundinæ quotannis ibi fiunt celebres, unde cives quoque mercaturæ addicti. Arx Archiepiſcopalis in mediis paludibus ſita, pulchra ædificia habet, itidemque Canonici & cives nonnulli: Eccleſia namque Collegiata ibi eſt, ſatis argento

gento & vestibus sacris dives: similiter monasteria & templa alia. In agro Loviciensi nobilium avicularum quæ Sniegulæ vocantur (quasi nivales aves dixeris,ut Cromerus author est: quod non nisi sub hyemem excipiantur, & cum hyeme simul dispareant) famosa est captura: alibi eas conspici aut capi negant incolæ loci illius. Volboria quoque, Cujaviensis Episcopi residentia, palatium pulchrum ad aquas situm habet, & oppidum ipsum habitatoribus plenum: est etiam alicujus notæ Gombinum, Sochaciovia, Gostininum (nobilitatum carcere Demetrii Suiscii Magni Ducis Moscoviæ,

viæ, qui ibi in arce longo tempore aſſervabatur, & tandem pedore confumptus vitam expiravit) Squernevicia, haud inelegans palatium Archiepiſcopi Gneſnenſis continens; Biala, Chelmenſis Antiſtitis ditio, unde conſpicitur Radzejovia, ejuſdem cognominis Palatini Lencicienſis arx pulcherrima, hortos, fontes, & pomaria amœniſſima habens.

Tum Viaſdum oppidum arcis elegantia conſpicuum, quaſi ad lævam Ravæ civitatis poſitum. Ravenſi vero ſatrapiæ vicina eſt LENCICIENSIS, in tria ſimiliter prout & illa territoria diviſa, Lencicienſe videlicet,

× paedor.

Brezinense, & Orloviense. Præterque Palatinum quatuor Castellanos habet, qui ad Senatum Regni spectant, Lencicienſem, Brezinenſem, Inovlodenſem & Conarienſem. Præcipua diſtrictus urbs Lencicia, in paludibus ſita, templum Canonicorum longè extra urbem in loco ſanè inexpugnabili habet, ſi eum vel levis ars architectonica juviſſet, ipſa nundinis celebris, & comitijs nobilitatis illius palatinatus, qui ibi ſua judicia peragunt. Eſt & Piontkum ab una, atque Uniejovia parte ab altera, civitates Archiepiſcopi Gneſnenſis non contemnendæ, in quarum poſte-
riore

riore arx ad Vartam affabre facta conspicitur : in priore autem Monasterium F F. S. Pauli primi Eremitæ.

Sequitur Cujavia, in duos Palatinatus divisa, Brestensem nimirum & Juniuladislaviensem ; regio frumenti, pecoris & piscium ferax ; lacus etenim innumeros habet, eosque piscosos valdè, quos inter præcipuum locum Goplus habet, quinque milliaria patens in longum, semis in latum. Et BRESTENSIS quidem satrapia, unum Palatinum, tres verò Castellanos habet, Brestensem videlicet, Crusuiciensem & Covaliensem ; territoria autem

quatuor, Brestense, Crusviciense, Covaliense & Prædecense. In Brestensi, Vladislavia est, sedes & oppidum Episcopi Cujaviensis & Pomeraniæ, templum Cathedrale, veteris quidem fabricæ, sed varia suppellectili, ac præcipuè vasis argenteis ditissimum habens. Circa, domus Canonicorum, schola & Seminarium; arx verò ipsa ad confluentem Vistulæ sita, sicut & oppidum, domus latericias complectens. In eodem littore conspicitur Nisavia tota murata, nec valdè longè Raciensum, arce pulcherrima exornatum; item Radziejovia, Sluzevia, atque Breste ipsum, vallo, muris,
&

& fossa cinctum, latericiisque domibus interjectu trabium exornatum. Regio hæc, ferendæ segeti habiles campos ostendit, omniumque frugum copiam habet, quæ non modo in domesticos usus suppetant, verum etiam Dantiscum ad nobilem illum mercatum secundis amnibus devehantur.

Eodem modo JUNIVLADISLAVIENSIS satrapia tria territoria complectitur Bydgostense, Bobrounicense & Junivladislaviense, quod statim à Goplo lacu & oppido Crusuicia, usque ad Vistulam & fines Pomeraniæ extenditur, habetque complura oppida &

villas, quamvis ligneas omnes: & præter Palatinum, tres ad Consilium Regium Castellanos mittit, Junivladislaviensem, Bydgostensem & Conariensem. Crusuicia, quæ ad Brestensem palatinatum spectat & in Junivladislaviensis satrapiæ finibus posita est, habet templum extra oppidum S. Petri è quadrato lapide extructum cum collegio 24 Canonicorum, & arcem latericiam in insula lacus Goplensis, in qua olim Regem Popielium divina ultione permittente, mures devorarunt, quod plurimos consanguineos suos, regnandi cupiditate, veneno in convivio sustulisset. Bydgostia

stia

ſtia eſt civitas murata, Collegio Clericorum Societatis JESU nobilitata, habetque maximam copiam Sulmonum ×, ſicut & Pacoſtia rhombuûm. Sunt & alia ibidem non contemnenda loca, populationeſque bonæ, ut Gnieucovia, Vratisłavia, Solecia, Dibovia atque Strelce, ubi Monialium totius Majoris Poloniæ ditiſſimum monaſterium habetur.

× Salmonum

POLONIA MINOR.

TAm in longum, quàm in latum, quinquaginta ferè millaria Germanica, Minor Polonia habet, & in tres communissimè satrapias seu Palatinatus dividitur, Cracoviensem, Sendomiriensem & Lublinensem, hoc ipso ordine, quo nunc sunt enumerati, versus Aquilonem & ortum æstivum sitos. Et à septentrione quidem Masoviæ atque Podlachiæ tractui, ab occidente Majori Poloniæ, ab ortu Russiæ, à meridie verò Ungariæ & Silesiæ finitima est. Quoque propius acce-

accedit ad fines Ungariæ, hoc magis montana est & sylvestris: quo longius autem inde recedit, eo lenius declivis est, magisque culta, & meliore gleba. Tametsi in meditullio quoque Sendomiriensis terra aliqua ex parte leniter montosa, seu verius clivosa apparet. Uno Calvo monte excepto, in quo monasterium Benedictinorum est, S. Crucis nomine ligno-que celebre; tum aliud ad radices ejus, duobus milliaribus inde S. Catharinæ, FF. Minorum de Observantia.

CRACOVIENSIS Palatinatus, præter suos quatuor districtus (Cracoviensem, videlicet, qui duo terri-

toria complectitur, Xianzense & Prossoviense, Lelovienſem, Biecenſem & Sandecenſem, in quos dividitur,) etiam tres Ducatus in ſe continet, Oſvecimenſem, Zatorienſem, Severienſem, qui partes ſunt Sileſiæ, & Comitatum Scepuſienſem, qui eſt pars Ungariæ, tredecim oppida continens, inter quæ Luboulia præcipuum locum ſibi vendicat, arcem munitiſſimam, & in ea perpetuas excubias habens; Podolinecia quoque Collegio Piarum Scholarum percelebris. Reliqui verò omnes hujus ſatrapiæ diſtrictus, tres & nonaginta populationes, præter pagos & villas continent,

nent, templis, monasteriis, & castellis exornatas. Ac præter istas, sunt etiam arces in editioribus locis & rupibus extructæ, Melstinum, Rabstinum, Tencinum, Landiscorona, Moravica, Xiansia, Ogrodenecia, Lipovecia, Ociecium, Visnice, Pilcia, Sorstenum, Bobreck, Spitkovice, Soben, & cætera. Sed sunt & monasteria ad munitionem pariter & commoditatem habitatorum exædificata, & vicis pagisue non longè distantibus frequentata, Tinecense, Mogilense, Bielanense, Calvariæ, Miechoviense, Sielecense, Visnicense, Siriciense, Hebdoviense, Alvernense,

Sta-

Stanantecenſe, Andreovienſe, Prerovienſe, Gidlenſe, Mſtovienſe & Czenſtochovienſe. CRACOVIA, caput provinciæ, & regni totius Metropolis, poſita longitudinis gradu 42 latitud. 50 quæ cum ædificiorum privatorum juxta ac publicorum ſplendore atque munitione, tum rerum omnium advictum cultumque corporis pertinentiam, & mercium exoticarum copia, hominumque frequentia & civilitate facile cum claris Germaniæ Italiæque urbibus comparari poteſt. Habet adjuncta ſibi duo oppida, à meridie Cazimiriam, à ſeptentrione Clepardiam, arcem verò in

rupe

rupe quaſi medium Viſtulæ imminentem, & magnificis ædificiis exornatum. Ibidemque Baſilicam S. Stanislai, in qua ejus ſepulchrum nuper à Martino Szyſcovio loci Epiſcopo ſumptuoſiſſimè reſtauratum eſt; cum etiam antea tumbam argenteam multaque aurea vaſa cultui divino ſacrata habuerit: ſed ea longè auxit piorum Regum è Jagellonica proſapia liberalitas, tum Sigiſmundi III ejuſq; filii Vladislai IV pietas, Sigiſmundusque Senior præter donaria alia in crucibus aureis, & veſtibus gemmatis oblata, argenteum altare, ad Divi ſepulchrum erexit; ejuſque deinde filia, Anna

Regis Stephani uxor, aliud argenteum altare in capella AnnunciatæVirginis,ubi Regum ſepultura eſt, patris ſui Manes venerata, ſtatuit: tectoque deaurato Oratorium illud condecoravit. Taceo hic tot Reliquias Sanctorum, auro, argento, gemmiſque pretioſiſſimis exornatas; taceo cruces lapidibus & margaritiś lucentes, quæ tot millibus aureorum æſtimantur; taceo mitras Epiſcopales, caſulas & pluvialia ex ipſiſſimis gemmis factas cum hæc pretium ferè omne ſuperent, faciantque eo majorem ſtuporem mirantibus, quo magis conſiderantur & diligentius inſpiciuntur. Hoc dicam,

cam,quod ditiſſimè etiam in Europa proviſisEccleſiis cum hac noſtra commune non eſt. quod in ea videlicet perpetuò cantetur, & nuſquam ſilentium fiat, ſacerdotibus in certas claſſes ob id diſpoſitis, qui per totam noctem pſallunt. Cumque centum circiter ſingulis diebus in ea ſacrificia peragantur, octo Miſſæ ordinariæ cantantur à ſacrorum myſtis, & ex eis duæ concentibus Muſicis. Epiſcopus ipſe, tredecim civitatum dominus eſt, & Ducatus Severienſis ſupremus Princeps. Capitulum, quod 36 Canonicis conſtat, cum reliquis inferiores ordinis ſacerdotibus, tantundem in reditiditi-

ditibus, quantum & Episcopus, habent. Omitto hic alias quinque Ecclesias tam in arce, quam in urbe sitas, quæ proprios Canonicos & Capitula sua habent. Omitto Monasteria ditissima, & parœcias urbis; inter quas principem locum tenet illa in Circulo Cracoviensi, Beatæ Mariæ Virginis, quæ Archipresbyterum infulatum habet, & ob Cleri numerositatem similiter prout & in arce, totis noctibus assiduo laudes divinas concinit. Venio ad Academiam, eruditorum omnis generis fertilissimam officinam, quæ totius Sarmatiæ sidus lucidissimum est, pariter ut olim Græciæ oculus

Athe-

Athenæ. Hæc in univerſum undecim collegia habet. Collegium majus in quo Theologi, Collegium minus in quo Philoſophi, & Collegium Iuriſperitorum, in quo ejus artis Profeſſores habitant & prælegunt. Medici enim quia communiſſimè uxorati ſunt, extra collegium manent, quiſque in domo propria. Burſa Iuriſperitorum ſeu Collegium Dlugoſſianum, in quo Aſtreæ candidati manent. Collegium pauperum ſeu Burſa Iagelloniana, Collegium Philoſophorum ſeu Burſa Noſcoviana, Collegium Hieruſalem ſeu Burſa Oleſniciana, collegium Ziſinianum noviter erectum,

ctum, collegium Staringillianum, Smiescovicianum & Collegium seu Classis artium humaniorum. His adjungi possunt 14. scholæ Grammatices, sparsæ per urbem, in quibus alias etiam superiores artes Academiæ Magistri docent, sub uno capite Magnifico Academiæ Rectore, singulæque Facultates, certis legibus suos regunt, & studium magna sedulitate dirigunt ita, ut nullus fere Ecclesiasticæ aut Politicæ dignitatis ordo sit, in quo non reperiantur, qui in Alma hac universitate exercitati non fuerint. Faxit immortalis Deus, ut florentissimæ Academiæ gloria, quæ tam multorum

torum in ſe amorem, variis exercita ærumnis, convertit, & pietatem excitat, nulla aut fortunæ, aut invidiæ vi unquam collabeſcat. Sunt & in Monaſteriis Religioſorum Mendicantium ſtudia tam Philoſophiæ quam Theologiæ florentiſſima, apud Auguſtinianos, in Monaſterio S. Catherinæ, apud Franciſcanos, tam Conventuales, quam de Obſervantia, apud Carmelitas Diſcalceatos in ſuburbano, apud Ignatianos, ad Sanct. Petrum Majorem, apud profeſſos Sanct. Pauli Primi Eremitæ, in Rupella, atque alibi apud alios. ſed maximè apud Dominicanos ad ædem S S. Trini-

tatis, qui antiquitus eruditione simul & vitæ integritate excelluerunt, & etiamnum habent prælectores viros omni judicio doctissimos, & unà verbi Dei prædicatores celeberrimos. Sed & corpora sanctorum quiescunt in hac urbe plurima, ac præcipuè quæ miraculis clarent sunt, S. Stanislai, S. Prandothæ, S. Ioan. Grothij in arce, S. Hycianthi & Iuonis Episcopi apud Sodales Dominicanos, S. Isaiæ Confessoris apud Augustinianos Eremitas, S. Stanislai Cazimiriensis apud Canonicos Regulares, S. Simonis Lipnicæ apud Minoritas, de Observantia qui omnem ætatem suam,

suam, tam in seculari, quam monastica vita, magna puritate & innocentia peregit, ita ut cunctis exemplo esset. Sanctus quoque Joannes Cantius Academicus, vir uti eximia vitæ sanctimonia, sic & præstanti excellens doctrina apud S. Annam quiescit: & cum illo plurimi pietate insignes viri, Antonius Anapachaniæ, Rochus Posnaniensis, Simon Halicius, aliique plures alibi, morum suavitate, & vitæ inculpatæ innocentia celebres, ut Stanislaus Kokoszka, Bartholomæus Bontkovius. Ioannes Vielicius, Sebastianus Nucerinus, sed principaliter apud S. Marcum B. Michaël

Gedrucius. Reliqui, quorum præter summam vitæ integritatem, doctrina quoque varia & recondita fuit, sunt scripti in libro vitæ. Sunt & confraternitates piorum hominum in hac urbe celeberrimæ quæ solemnioribus festivitatibus juxta veterem ritum diversis coloribus in processionibus vestiuntur, videlicet Confraternitas Rosarij colore rubro, Confraternitas Misericordiæ colore viridi, Confraternitas Scapularis colore cœruleo, Compassionis Christi colore nigro, Confraternitas Italorum colore niveo, Confraternitas Corporis Christi colore niveo,

cum

cum caputiis rubris, Confraternitas Sanct. Sophiæ colore albo nitido. Confraternitas Sanct. Annæ albo obscuro, Confraternitas, Sanct. Monicæ colore lazuro &c. Sed nos, facta obiter religiosæ pietatis mentione, quæ ad eandem normam in omnibus Poloniæ urbibus servatur, ad reliquam hujus nobilissimæ satrapiæ descriptionem procedamus. Habet itaque illa præter Episcopum, Castellanum, & Palatinum, Crac. alios quatuor Senatores ad Consilium Reipubl. pertinentes, Castellanum nimirum Voinicensem, O-

ſuecimenſem, Sandecenſem & Biecenſem; Præterque alios magiſtratus terreſtres, & caſtrenſes, (quos inter Generalis Præfectus Cracovienſis eſt primarius cuſtos ac defenſor, non tantum arcis regiæ, in qua corona aſſervatur, verum etiam pacis atque tranquillitatis publicæ. Unde juriſdictionem habet latè patentem, non modo in agreſtes & oppidanos, verumetiam in equeſtris ordinis homines) Magnum Procuratorem Cracovienſem numerat, qui ſartorum tectorum arcis, & redituum Principis curam habet. Arxque ipſa Crac. peculiariter decem cuſtodes habet,

habet, qui Burgrabii ſumpto à Germanis vocabulo appellantur: paciſque juxta ac belli tempore, nocturnas atque etiam diurnas, quando opus eſt, excubias per ſe, vel per adminiſtros ſuos ſervant; debentque omnes nobiles eſſe. Nec eſt prætereundum, quod præ omnibus Regni Poloniæ ſatrapiis, una Sendomirienſi excepta, huic ſoli omnia metalla foſſiliaque contigit poſſidere: plumbi & argenti, apud Ilcusſiam, Slavcoviam Severiam & Novagoram: æris atque auri, ad Novotargum & in montanis circa Sandeciam: ſalis metallici inſtar ingentium ſaxorum, apud Bochnam

& Velifcam : marmoris omnis coloris apud Seleciam, Carmelitarum Difcalceatorum Eremitorium: nitri apud Vifliciam; vitrioli apud Beciam, cupri & carbonum ad ignem fovendum, apud Tencinum: chalibis apud Podoleneciam: ferri vero fimplicis, & vaforum vitreorum officinas, apud Olftiniam, tum & alijs compluribus in locis. Quæ univerfa quamvis, fed in fubmontana regione potiffimum, hortis haud incultis, (ut hic de fuburbanis Cracovienfibus taceam) & pomariis fructuofiffimis referta funt, in quibus caftaneas, mora, cotonea, ficus amy-

amygdalas, pepones, melopepones, herbaſque ac flores omnis generis, Italiæ delicias reperias. Et in primis CREPICIIS hortum ut vulgo dicunt Italicum cultiſſimum videbis: itemque palatium laquearibus deauratis, recentis architecturæ, tum quoque monaſterium & templum Canonicorum Regularium, ſumptu & cura excellentiſſimi olim viri, & cujus nomen famaque nec vetuſtate obrui, nec oblivione deleri poterit, Nicolai Volſcij Regni Poloniæ Supremi Marſchalci, exſtructum. Et in vicinia caſtelli, vivarium diverſorum animalium am-

amplissimum, in quo nostris temporibus, præter castores, capras, damas & danielos, mille sexcenti solummodo cervi ipsi numerabantur. Ejusdem illustrissimi viri studio & magnificentia CLOBUCII, templum & monasterium, similiter Canonicorum Regularium, & palatium penes affabre factum, & hortus ut dicunt Italicus conspicitur. *Sequitur* Czenstochia; oppidum quidem, bona cerevisia, quæ non tantum per Poloniam, sed etiam per vicinas Imperii Germanici, provincias distrahitur, percelebre. Monasterium verò extra oppidum

dum in Claro monte ſitum, egregieque nunc reſtauratum & munitum, B. Virginis miraculoſa imagine, à S. Luca Euangeliſta depicta, fere toti Chriſtianitati notum. Solent enim eò, è longiſſimis partibus Europæ, devoti homines venire, aut ſaltem donaria ſua mittere, difficultatibus aliquibus impediti. Hinc theſauros ibi ingentes in gemmis, auro, argento, & veſtibus ſacris videbis, Religioſorumque inibi degentium, *S.* Pauli primi Eremitæ, frequentiam non contemnendam. In proximo templum S. Apolloniæ, & turris conſpicitur: atque inde FF. Dominicano-
rum

rum reſidentia Gidlenſis, itidem B. Virginis imaguncula miraculoſa percelebris ubi & Carthuſia noviter exſtructa eſt. Ad confluenta deinde Vartæ, oppidum Mſtovia, Canonicorum Regularium, ditio ampliſſima, qui Præpoſitum infulatum loco Abbatis habent; & ad manum dextram inter Sylvas, arx in ſcopulo eminentiſſimo Olſtinia, Tum procedendo verſus ortum æſtivum, S. Annæ templum Priroviæ, ſub cura FF. Minorum de Obſervantia, piorum hominum aſſiduis peregrinationibus famoſiſſimum. Ad fluvium verò Pilciam, Novopolia, nidus Koniec-
polſci-

polſciorum, cum arce elegantiſſima, & caſtellum Potok, conſpicuum, ejuſdem familiæ amœniſſima poſſeſſio. Lelovia deinde ſequitur, territorii caput, & muro vetuſto permunita. Hinc Pilcia, Zbaravii Ducis ditio, templum Canonicorum in oppido habens, in monte verò munitiſſimum propugnaculum, ad præſentem Geometriam dimenſum; intus palatium ſuperbiſſimum, & hortus more Italico excultus. Inde verſus meridiem eundo, primum occurrit Ogrodenecia, in ſcopulo arx DD. Firleorum vetuſtiſſima; deinde oppidis aliquot ignobilioribus

bus interjectis, Severia caput amplissimi cognominis ducatus, arcem habet satis munitam in insula unius latissimi stagni, & aliam Lipoveciæ in scopulo eminenti, famosam carceribus insolentioris Cleri Diœcesis Cracoviensis. Cum enim Episcopus Cracoviensis supremus Princeps sit Ducatus Severiensis, qui aliquot oppida continet, Lipoveciam inter illa, tanquam viciniorem urbi Crac. ubi communissime iudicia peraguntur, incarcerandis licentiosis Clericis antiquitus deputavit. In eodem ducatu est Slaucovia fodinis argenteis percelebris, ac ob id multum Epi-

Epiſcopis Cracovienſibus amata. Vicina illi Ilcuſſia urbs regia itidem plumbi atque argentifodinis dives, & famoſa, cives habet, ut in luxu plus nimium ſuperbos, ſed ad devotionem & pietatem nihilominus pronos, & benè moribus politos, urbem ipſam mœnibus cinctam, & domus pulchrè è laterculis factas: panis hic ſemper optimus & caro bubula, ut etiam Cracoviam ipſam ſuperent, à qua vix quinque milliaribus diſtant. Quo ſpacio videbis tot caſtella, tot monaſteria, totque palatia nobilium, ſacerdotum, mercatorum, & in primis Tencinum, in monte eminen-

tiſſimo ſitum, arcem pulcherrimam Comitum ab illa cognomen ſuum derivantium, originem verò à Lecho ipſo, gentis Polonæ authore: deinde ad ſiniſtram Pieſcovam ſcalam, inter ſylvas arcem in rupe prærupta ſitam. Itemque Ociecium, arcem ſimili ſitu gaudentem, & à tergo quaſi Rabſtiniam, Ilcuſſiæ imminentem. Verſus autem Cracoviam procedendo, Moraviciam, Balicios, Midlnicos, palatia pulcherrima. & ante ipſam jam vrbem Voliam caſtellum elegantiſſimum, induſtria Italorum opificum exſtructum. Tum denique in ſuburbano, Lobzovia, palatium

um ſumptuoſiſſimum regium, & hortus undequaque cultiſſimus. Ad occidentem urbis, uno milliari conſpicitur in monte eminentiſſimo Argentineo nuncupato, Patrum Camaldulenſium Eremitorium, prædicti viri excellentiſſimi Nicolai Volſcii ſumptibus magnificentiſſime exſtructum, ubi eſt quod viator miretur, cum ſint omnia ad amuſſim, juxta proportiones geometricas in fabricando obſervata. Medio quaſi milliari inde Tinecium, Benedictinorum ad Viſtulæ præterlabentis littus monaſterium, Abbatem quinque civitatum, & centum villarum Dominum habens

bens, qui eſt perpetuus Canonicus Cracovienſis. Et pergendo ad confinia Sileſiæ, palatium Spitcovienſe ad ejuſdem Viſtulæ confluvium occurrit: deinde arx Bobrcenſis, in ducatu Oſuecimenſi. ut ipſam Oſuecimiam inter paludes ſitam omittam) Inque ducatu Zatorienſi, palatium Oſiecenſe haud indecorè permunitum. Similiter in Comitatu Zivecenſi, Monaſterium Canonicorum Regularium, & palatium pulcherrimum in Sucha. Arx deinde Landiſcoronenſis in rupe excelſa, per tot milliaria undique conſpicitur; tum in ditione illius, Mons calvariæ, ab illu-

illuſtri olim viro Nicolao Zebridovio Palatino Cracovienſi appellatus, inque ejus hæreditario fundo à viris religioſis, piorum devotioni locus delectus, obſervata omni ſimilitudine ſitus, cum ſitu urbis Hieroſolymitanæ, in qua Chriſtus Dominus operatus eſt ſalutem noſtram. Ergo collibus impoſitis ſuis cognominibus, oratoria ſparſim per campos pulcherrima extruxit: in monte verò ipſo Calvariæ, monaſterium ſumptuoſiſſimum FF. de Obſervantia erexit: impetrata à Summo Pontifice gratia, quo à peregrinantibus ea loca licitè viſitari poſſint. Fitque eo

maximus hominum concurſus, non è Polonia tantum, aut vicinioribus locis, ſed ex Ungaria, Tranſylvania, Silefia, Moravia: aliiſque remotioribus populis. Ab alia parte urbis Cracovienſis, eſt Abbatia dives, monaſteriumque Ciſtercienſium ſatis munitum & pulcherrimum Claretumbæ ſeu Mogilenſe. Et aliud ex oppoſito ferè, Viſtula tantummodo ſuperata, Staniontecenſe, Monialium D. Claræ. Tum in Sylvis palatium regium Niepolomicenſe, venationes diverſarum ferarum & hortũ excultum habens. Et ſylvis ſuperatis quarto ab urbe milliari, aut quinto, Præmonſtra-

ſtratenſium Abbatia Hebdo-
vienſis. In Submontanam
verò regionem vergens, Ve-
liſca civitas ſalis metallici fo-
dinis nota per Europam,
vel ex ſolius Rhetici Mathe-
matici celeberrimi deſcrip-
tione: itemq́ue Bochnia,
æmula Veliſcæ, iiſdem
foſſilibus abundans. A cu-
jus latere dextro verſus Un-
gariam, primo conſpicitur
Dobcicia, civitas cum arce:
deinde Sciricium intra mon-
tes, Ciſtercienſium Ab-
batia non contemnenda. Et
verſus ortum in Viſnicia,
Comitis Lubomirſcii, Cra-
couienſis Palatini, arx mu-
nitiſſima, & PP. Diſcalcea-
torum in uno monte vicino

Eremitorium: utraque modernæ architecturæ, excellentiſſimas picturas diverſaq; marmora, & artificioſos in hortis aquæductus continens. Omitto oppida ignobilia, & veteris fabricæ arces, omitto villas & domus nobilium affabre factas, cum non in urbibus modò, ſed etiam in villis, lautius nunc & quodammodo magnificentius habitare noſtri homines ſtudeant, præcipuè autem in ſatrapia Cracovienſi, quæ & Germaniæ vicinior aliis eſt, & Italos mercatores atque opifices, quorum opera & induſtria in ædificando utitur, complures ſemper habet. San-

decia itaque in ſubmontana hac regione, civilitate alias circumvicinas populationes ſuperat, quæ & Abbatem Præmonſtratenſium monachorum, & Eccleſiam Collegiatam habet: & homines Mercurio deditos, non pigros aut agreſtes uti communiter fiunt montani omnes, ſed politos, induſtrios, & negociis ſuis intentos. Urbs muro cincta ad ripam Dunajecii in loco amœniſſimo, quaſi uno milliari in proſpectu veterem Sandeciam habet, ubi moniales Præmonſtratenſes ditiſſimum tota Polonia monaſterium incolunt. Quinque milliaribus inde Biecia

urbs pulchra & loco munito ſita, ſui territorii, prout & Sandecia caput; tandem Tucholia, Zmigrodum, Dembovecia Ducla, & Tarnovia, Eccleſia collegiata marmoribus perpolitis conſpicua, tum muris ædificiiſque urbis, atque extra paulò in monte eminenti arce perinſignis, cui vivarium ampliſſimum adjunctum conſpicitur. Eſt hic in ſuburbano FF. Minorum de Obſervantia & Monialium D. Benedicti haud inelegans, & in templo Canonicorum, ſepultura Tarnoviorum Comitum & Ioannis ultimi Ducis Oſtrogii variè marmoribus exornata & tota ſanè Phidio

dio opere ſculpta. Ad ſeptentrionem itaque procedendo, inter nobiliora oppida hujus Palatinatus cenſentur eſſe Opatovecia, Coſicia, Proſovia, Miechovia militum ſepulchri Chriſti ditio, qui in ea monaſterium multis poſſeſſionibus ditatum habent, Præpoſito infulato ſuperiori utentes. Xianſia, monaſterium Auguſtinianorum & palatium marmoribus pulcherrime variegatum extra ſepta oppidi habet. Andreovia Abbatia prædives, & oppidum non contemnendum. Scarbimiria frugum dives, & Collegio Canonicorum honorata; Chroberſcum arx pul-

pulchra Marchionis Miscovii, atque ejusdem civitas Pinczovia palatium superbissimum continens, in quo maximè balneum à poëtis celebratur. Terra abundat lapide vivo pro fabricis exstruendis apto, & agros per totum fertilissimos habet.

Sed jam transeamus in SENDOMIRIENSEM Palatinatum, qui in octo territoria dividitur, Sendomiriense videlicet, Radomense, Stenzicense, Corcinense, Visliciense, Chencinense, Opocinense & Pilsnense. Habetque Senatores ad Consilium Reipub. spectantes numero novem. Palatinum inprimis, tandem Castellanos

nos ſequentes, Sendomirienſem, Viſlicienſem, Radomienſem, Zavichoſtenſem, Zarnovienſem, Malogoſtenſem, Polanecenſem & Cechovienſem. Abundat metallis, auri, argenti, æris, & lazurii apud Kielcios; plumbi & argenti apud Chenciniam: ibidem marmoris nigerrimi & viridis atque rubei apud Cunoviam; ferri & chalybis, ad Vonchociam Bodzantinum, Sydloveciam, atque alibi paſſim. Sicut & pomaria fructuoſa ubique reperias, ſed maxime in ſuburbanis Sendomiriæ ipſius & Zavichoſti, in quibus pirorum, malorum, prunorum, perſico-

corum, cerasorum, & nucum bonitas atque varietas, certat cum Ungaricis & Italicis. Sunt & vites, quarum vuæ non insuaves sunt. præsertim si æstas & autumnus temperiem suam servent: sed vinum inde expressum acerbius, ubi defecatum est. Urbs in scopulo eminenti posita ad Vistulam, prospectum amœnissimum habet, satisque cives politos sortitur, cum magna ibi semper nobilium sit frequentia, ob assiduam jurisdictionem magistratuum provinciæ ibi residentium. Est quoq; ibi & Collegium Canonicorum locupletissimum, & Collegium Clericorum Societatis Jesu juven-

ventutem docentium, & Collegia Religioſorum virorum, & arx Regia ſatis pulchre fabricata, in qua reſidet Præfectus. Secundum illam eſt OPATOVIA quatuor inde milliariis diſtans, in loco fertili & amœno ſita; itidemque templo Canonicorum, viris religioſis & populi frequentia urbs inſignis atque munitio Viazdenſis noviter erecta. Radomia territorii ſui caput, muro cincta, templum Minoritarum, inter alia, pulcherrimum habet. Oppidum Jedlinſkio dictum Gymnaſium Academicum celebre & templum affabre extructum. Tarlovia quoque tem-

templum inter novas fabricas magnificentiſſimum. Solecia ad Viſtulam ſita, arcem à Duce olim illuſtri, Chriſtophoro Zbarauio reſtauratam, & recentiori architectura exornatam, hortoque cultiſſimo auctam continet. Ilza, urbs domibus latericiis elegans, Epiſcopi Cracovienſis eſt, olas pulcherrimas toti Poloniæ ſubminiſtrat; cui arx adjuncta veteris quidem fabricæ, in loco editiori, ſed pro commoditate Aulæ Epiſcopalis ſatis auguſtè exſtructa. Ad eam pertinent Cunonia, marmoribus omnis generis & omnis coloris percelebris. Illi vicina Vonchocia, mona-
cho-

chorum Ciſtercienſium Abbatia pinguis, aquisq́ue irriguis & hortorum amœnitate læta: Habet in fundo ſuo lapidem pro fabrica optimum, itemque cotes, acuendo ferro qui per totam Poloniam diſtrahuntur. Ferri autem officinæ, paſſim ibi per ſylvas & montes ſparſæ reperiuntur, ſed præcipuè in ditione Epiſcopi Cracovienſis, qui ſuam reſidentiam Bozentini communiſſimè habere ſolet: civitas eſt haud inelegans, muro & vallo ſepta, palatium pulchrum, & hortos Epiſcopi continens; eſtq́ue quaſi ad radices Calvi montis, quo in tota Polonia altior non invenitur.

In jugo ipſo, Benedictinorum Abbatia eſt, celebris ligni S. Crucis veneratione: populus enim ex tota Polonia eo concurrere, & vota ſua exſolvere ſolet, miraculorum quæ ibi patrantur fama aſſidua concitatus. Itidem ad radices montis celebre eſt monaſterium S. Catherinæ, FF. Sancti Franciſci de Obſervantia, prout & alia complura per circuitum ſparſa. Et verſus occaſum procedendo, Kielciis (Eccleſia hic Collegiata pulchra & palatium Epiſcopale marmoribus exornatum ad Symetriam Italicam) æris & cupri, lazuriique fodinæ famoſæ Epiſcopi

pi Cracovienſis ſunt: prout Chenciniæ plumbi, argenti, atque marmoris diverſi, tribus milliariis inde, Regis ipſius. Arx ibi in monte prærupto ſita, jurisdictionem in totum illum diſtrictum exercet. Sequitur Malogoſtia titulo Caſtellani nota, aliaque plurima ignobilia oppida: inter quæ Sulovia alicujus nominis eſt, quod Abbatem Ciſtercienſium Monachorum habeat, dominum aliquot circumvicinarum civitatum; Drevicia caſtro antiquo notabilis, ſicut & Inovlodia ad fluvium Pilcam ſita: ſed vtriuſque claritatem obſcurat Sidlovecia, Ducum

Radivillorum non contemnendus Comitatus, & bonas piſcinas, & frequentes ferri fodinas & ſyluarum copiam, & pulchra urbis ædificia habens. Hæc in ſeptentrionaliori parte hujus ſatrapiæ, quæ quaſi pro additamento Viſtula ſuperata diſtrictum Stenzicenſem habet, in tranſitu verò ipſo Seciechovienſem Benedictinorum Abbatiam, ad ipſam fluvii ripam ſitam, & paulò ſuperius Janoveciam, arcem in editiore ripa haud inelegantem habentem. In Stenzicienſi verò tractu, arx Vilciſcenſis, primum inter omnes nobilium villas, locum habet, quoad elegantiam fa-

fabricæ; reliqua omnia vetusto more, in toto illo territorio ædificata. Cum itaque per medium quasi, palatinatum Sendomiriensem, à meridie ad septentrionem Vistula decurrat, & hanc partem quæ versus occidentem est, per medium etiam mons Calvus, ab ortu in occasum secet, enumeratis notabilioribus locis quæ in parte Boreali erant, nunc ea quæ in Austrum vergunt, breviter percurramus. Ac primum ad montis ipsius radicem Slupeciam Abbatis S. Crucis oppidum haud ignobile intueamur; deinde Lagoviam Episcopi Cujaviensis civitatem, olis conficiun-

dis quæ per Poloniam diſtrahuntur celebrem. Hinc ſequitur Racovia, nidus Arianorum, olim populoſa civitas ſatis, & ſynagoga impiorum, gymnaſioque inficiendæ verius, quam erudiendæ juventutis, apud ſuos ſectatores famoſa, Sed nunc expulſis publico Comitiorum decreto blaſphemiæ magiſtris tota in Catholicæ Eccleſiæ gremium gratiâ & aſſiſtentiâ divinâ revocata, & cura pietateque ſanctæ memoriæ Antiſtitis Jacobi Zadzicii templo magnifico & circa eam Clero religioſo, Conſpicua.

Vi-

Vicina illi Sydlovia, muro vetuſto circundata, & inſuper arce itidem munita, Catholica, & quæ parte quaſi ab una, poſt multa alia oppida ignobiliora & villas, Pocriuniciam Ciſtercenſium ditiſſimam Abbatiam habet; parte verò ab alia arcem Rytujanenſem Comitum Tenciniorum, & ab illis exſtructum in ſylvis Eremitorium Patrum Camaldulenſium, Sancti Romualdi ſectatorum.

Eſt ibidem monaſterium in vicinia F F. Sancti Pauli Primi Eremitæ, Bieſoviæ, quod ſimili-

militer prædictorum Camaldulensium fundator Illustrissimus Comes Io. Tencinius Palatinus Cracoviensis, variis pro sua devotione donariis exornavit. Sequuntur alia celebriora oppida Osiecum, Stasovum, Polanecia, Paczanovia, Stobnicia, Olesnicia, Ossolinum Palatium elegans, & Monasterium Dominicanorum Climuntoviæ, atque Ecclesiam collegiatam cum Præposito infulato habens. Corczynum territorii caput, arcem loco munito inter aquas habens, & Vislicia demum, mediis in paludibus sita, ubi templum Canonicorum ex lapide quadrato, & Cleri habitati-

tationes bene exſtructas videbis; tum infinitam multitudinem ſerpentum aliorumque inſectilium paſſim, ſed quæ à Pontifice Romano, ut ſcripturæ regiſtratæ teſtantur, excommunicata, incolis minimè nocent, tranſportata verò, ſtatim emoriuntur. Sborovia, arx antiqui operis, eſt quaſi media, inter Viſliciam & Corczynum, vivaria animalium ampliſſima, & piſcinas optimas circumcirca habet. Sed ad trans Viſtulanam partem hujus ampliſſimæ ſatrapiæ tranſeamus, quæ inter oppida Pilſnam territorii caput numerat, templum pulchrum & organa celeberrima ha-

bentem. Deinde Sendiſoviam, Zarnoveciam, Socoloviam, Præclaviam, Zaclicynum foro pulcherrimo conſpicuum, & Lezaiſcum, tum templo Parochiali, militum ſepulchri Domini, illuſtre, tum extra oppidum Monaſterio F F. Minoritarum, ad quod populi undique devotionis ergo in Beatiſs. Virginem, cujus imago ibi miraculoſa aſſervatur, concurrunt, per omnes circumvicinas provincias celebre. Sunt & arces nobilium in hoc diſtrictu non contemnendæ plurimæ, ſed hæ tres præcipuæ cenſentur, eſſe Rzemienium munitiſſimum, Vieviorka amœniſ-
ma,

ma, & Baranovia elegantiſſima. Sed quas nuper ab Oſſolinio Palatino Sendomirienſi Chriſtophoria elegantiſſime exſtructa ſuperat.

Tertia & ultima pars Minoris Poloniæ LUBLINENSIS ſatrapia, cui adjuncta eſt Terra Lucovienſis, circiter duo millia domus nobilium habens. Et cum tota Minor Polonia unum tantum Epiſcopum Cracovienſem habeat, qui mille octodecim templa (inter quæ tredecim Eccleſiæ collegiatæ ſunt) ſua juriſdictione complectitur, idcirco Lublinenſis quoque Palati-

latinatus eidem Episcopo subjectus existens, præter complures civitatum præfectos, & varios magistratus, duos tantum in sua amplitudine senatores habet, Palatinum & Castellanum Lublinensem. Porrò Lublinum ipsum, long. 45. fere gradu. lat. amplius 51 quamvis non adeò spaciosum sit, ita bene tamen exædificatum est, ut uix ulli totius Sarmatiæ urbi cesserit, vel amœnitate situs, vel cœli salubritate, vel fœcunditate soli, vel aliarum quarumlibet rerum vitæ degendæ conducibilium, aut etiam ad splendorem & luxum pertinentium ubertate. Habet templa & mona-
ste-

ſteria magnificè exſtructa: habet Eccleſiam Collegiatam: habet Collegium Clericorum Societatis Jesu frequentiſſimum: habet ter in annum nundinas celeberrimas, ad quas concurrunt Angli, Scoti, Itali, Germani, Moſcovitæ, Perſæ, Armeni: habet Parlamentum ſeu judicia Tribunalicia totius Poloniæ, atque ex eo maximam frequentiam nobilitatis. Secundum poſt eam locum tenet Cazimiria, ad Viſtulæ ripam civitas pulcherrimè exædificata, & ſatis mercatoribus abundans. Reliquæ ſunt Opolia, Curovia, Craſnicia, Levartovia, Urzendovia. Lenczna,
ſed

inter quæ Czemiernicos primo loco adſcribemus, ob pulchritudinem palatii, ab egregio olim & excellentis prudentiæ viro D. Henrico Firleio, Archiepiſcopo Gneſnenſi, magnificentiſſimè exſtructi: tum ob amœnitatem hortorum. Quamvis & Dombrovicia, eorundem DD. Firlejorum, arx non inelegans habeatur.

LITVA-

LITUANIA.

SYlvestris sanè fuit superioribus temporibus pleraque omnis Lituania, sed à Sigismundi Senioris temporibus, ad hodiernam usque diem, optimorum Regum studio, diuturnam pacem nacta, nunc ubique diligenter excolitur, frugum leguminumque ferax, & pratis, hortis, pomariis, abundans: villis, pagis, oppidis, castellis, recentiorisque fabricæ ædificiis, non modo in urbibus, sed etiam in prædiis refertissima. Fluvios complures, & lacus ingentes, sed pis-

piſcoſos paſſim habes extenditurque à confinio ſatrapiæ Lublinenſis, uſque ad terminos Livoniæ in longum per nonaginta milliaria Germanica, in latum per quadraginta & amplius, à finibus Pruſſiæ ab occaſu, ad Albæ Ruſſiæ, (quæ ad Magnum Ducatum Lituaniæ ſpectat) conterminia verſus ortum. Et dividitur communiſſimè in hos tres Palatinatus, Vilnenſem, Trocenſem, & Breſcianenſem. VILNENSIS ſatrapia ſeu Palatinatus primum in Magno Ducatu Lituaniæ locum tenet. Habetque Epiſcopum, (qui ſe Ducem Iuanum ſcribit) ita latè ſuam juriſ-

juriſdictionem extendentem, ut in tota Lituania atque Alba Ruſſia, quæ tot ſatrapiis conſtat, uſque ad confinia Moſcoviæ, nonniſi illius Vicarii ſeu Officiales, ſacris Chriſtianis præſint & invigilent: nullius alterius Diœceſis intervenit. Habet & Palatinum, atque Caſtellanum, qui ad Senatum Regni ſpectant, ſed Palatinus ipſe quoque & urbis Vilnæ Præfectus eſt, exercetque juriſdictionem ſuam in omnes, exceptis magiſtratibus aliis, qui ibi ſuam reſidentiam habent. Nam & Parlamentum ſeu Tribunal totius Lituaniæ, prout

cum adjacentibus ſibi provinciis extenditur, ibidem celebrari mos eſt. Urbs magnitudine non ſuperat Cracoviam, ſed quia forum ſtrictius habet, videtur plateas ex eo longiores ducere, à porta nimirum Rudnicenſi uſque ad arcem inferiorem, ubi templum Cathedrale eſt, & in eo corpus integrum S. Cazimiri Principis Poloniæ, fratris Germani Sigiſmundi Senioris, Regis olim Poloniæ ſapientiſſimi, qui eum à Leone X. Sanctorum Catalogo inſcribi curavit. Huic tanquam avo ſuo Sereniſſimus Rex Sigiſmundus III. tumbam argenteam nuper tria millia librarum ponderis ha-

habentem, fieri curavit, itemque altare argenteum, capellam marmoris exquiſitiſſimi, campanam ingentem (ſimilem Cracovienſi illi quæ à Sigiſmundo I. facta, nomen illius retinet) votum expugnati Smolenſci, ad quam pulſandam viginti quatuor robuſti homines requiruntur: & demum ſub titulo & patrocinio illius, baſilicam Italicæ architecturæ, Societatis JESU Clericis, in medio urbis foro, magnificentiſſimè erexit. Quæ prædicta Societas, Collegium ſtudioſorum à Rege Stephano fundatam in platea Caſtrenſi ſuperbè ædificatum ad D. Joannis templum

Parochiale poſſidet, novitiatum verò in alio loco habet. Collegium iſtud ſub titulo Univerſitatis erectum eſt à Gregorio XIII Anno 1579, urgente inprimis fundatore Valeriano Epiſcopo Vilnenſi, & Stephano Rege, aliisque viris piis, de quo vide Albertum Koialovicium Societ. JESU Theol: ejuſdem univerſitatis Procancellarium, in Miſcellaneis rerum ad Statum Eccleſiaſticum in Mag. Duc. Lit. pertinentium. Theologiam hic profitentur ſex Profeſſores, ſeptimus linguam ſacram; Philoſophiam quinque; Jus utrumque quatuor. Humaniores litteras ſeptem.

Arces in hac urbe Regia duæ ſunt, ſuperior vetuſti operis & planè jam deſolata: inferior autem proportionatæ geometriæ, & ſatis pro regio comitatu auguſtà. Reliquorum nobilium palatia minora, ſed pulchrè fabricata, ſicut & civium privatorum domus, qui poſt illud incendium grande, quo urbs tota perierat, Anno 1610, cum bellum cum Moſchis haberemus, elegantius lapidibus & laterculis ædificare cœperunt. Sunt hic monaſteria complura, tam Græcorum, quam Latinorum; erat & ſynagoga Calviniſtarum, qui itidem ſuum Gymnàſium habebant,

petitis ex Germania suæ impietatis magistris, namque urbs ista plurimos, & opifices & mercatores, Germanos, Scotos, & Anglos habet. Sed itidem decreto Comitiorum regni prout & Racoviensium Arrianorum funditus extirpata est. Bombardæ bellicæ æneæ, & sclopeta minora, hic præstantissima conficiuntur, tum alia quoque militum utensilia & arma. Quatuor ab urbe milliariis est, in sylvis Rudnikum, aula regia ornatissima, & hortus amœnus, & venationes ferarum, & vivaria illarum amplissima habens. Inter oppida autem, Lida atque Osmiana,
quæ

quæ ſunt territoriorum capita,& Ducis Radivilli, Bierze, cum arce munitiſſima præcipua cenſentur eſſe; reliqua ferè omnia lignea ſunt, & parvi momenti.

TROCENSIS ſatrapia Palatinum tantum & Caſtellanum habet, quamvis illi ſubſit Terra Grodnenſis, quæ etiam ſibi territorium Volcoviſcenſe adſcriptum jactet, & utraque illarum Magiſtratus proprios habeat, ſuperetque magnitudine ipſum diſtrictum Trocenſem. Quia tamen in Lituania non eſt mos minores Caſtellanos creare, prout in Polonia, ideo quælibet ſatrapia duos tantum Senatores habet, Ca-

ſtellanum & Palatinum. Civitas itaque Trocenſis quatuor à Vilna milliariis diſtat, eſtque poſita inter paludes inacceſſibiles, quæ etiam intenſiſſimo frigore non planè congelantur;& arcem quamvis vetuſtam benè tamen munitam habet ; tum monaſterium Benedictinorum, ſatis firmum. Hic in templo Parochiali Imago B. Virginis miraculis clara habetur, quo de longinquo fideles concurrere devotionis cauſa ſolent, diverſaque beneficia & extraordinarias gratias, orantibus in prædicto loco, aut votum coram illa imagine concipientibus, Deus omnipotens largiri ſolet. Grodna autem

tem ad fluvium Crononem ſeu Memenum ſita, arcem haud inelegantem, in loco editiori habet, extructam à Rege Stephano, qui ob venationes ferarum maiorum, puta alcium, vrorum, atque urſorum, libentius hic immorabatur. Sereniſſimus autem Rex Sigiſmundus III. pontem Memeno impoſuit, ligneum quamvis, ſed ita affabre factum ut ſimilem Polonia non habeat. Complura hic monaſteria ſunt & templum Parochiale pulchrum. Ignatiani quoque Collegium non ita pridem, pro ſtudioſa juventute hic erexerunt.

BRESCIANENSIS

quoque Palatinatus, Lublinensi satrapiæ vicinus, easdem ferè qualitates, quas & reliqui districtus Poloniæ, possidet: oppida lignea & villas habet pecoribus & frugibus abundantes, præcipuè Cameneciam, Cobriniam, Ianoviam, quibus arces impositæ sunt, Voiniam, Rososiam, Vlodavam, Bialam, ubi palatium Ducum Radivillorum pulcherrimum est, & nunc gymnasium publicum erectum, vocatis, ex Academia Cracoviensi Magistris & Professoribus in omnibus disciplinis peritis. Reliqua omnia ignobiliora sunt, præter Brescie ipsum, quod arcem in scopulo, inter

Bugum & Muchavecium fluvios, ſitam habet:itemque palatium regium novæ architecturæ extra civitatem, cum hortis delicatis. Sunt & hic ſcholæ Ignatianorum, monaſteriaque religioſorum virorum non contemnenda. Sed & Judæi hic ſcholam ſuam in tota Europa celebrem habent; ſolentque convenire eò ex Italia, Germania, Moravia, Sileſia, non modo ſtudiorum, ſed & promotionum cauſa, ut Rabini poſtmodum fiant, & domum reverſi, ſuas ſynagogas dirigant. Berezæ Eremitorium Carthuſianorum fundavit Leo Sapieha Procancellarius M.D.Lituaniæ,

ſunt

ſuntq; vicinæ aliquot Abbatiæ Ord. S. Baſilii unitorum. Pinſcenſis ampliſſimus diſtrictus, proprios tam terreſtres, quam caſtrenſes magiſtratus habens, huic ſatrapiæ adjunctus eſt, ſed ſylvis nimium inumbratus, & paludibus immerſus; piſcium, mellis, & ferarum copia percelebris, tametſi & fruges non malignè proferat, & ceram, ſebum, lupulum, in Sileſiam, atque in Pruſſiam Dantiſcum mittat. Habet n Pinſcum oppidum homines induſtrios, & mercaturæ adeo deditos ut & in Moſcoviam, & in Germaniam ſæpiſſimè cum ſuis mercibus excurrant. Sed ut plu-

plurimum religionis ſunt Græcanicæ, Epiſcopumque proprium habent. Ubi & Ignatianis collegium Dux Staniſlaus Radivillus Cancellarius Lituaniæ erexit.

RUSSIA.

PRout Regi Poloniæ ampliſſima Ruſſiæ regio ſubjicitur, extenditur in longum, ab ora Pocucenſi, ad confinia Livoniæ, per ducenta plus minus milliaria; in latum verò à Polonia minori aut Lituania, verſus ortum uſque ad vaſtos Tartarorum campos, aut Moſcoviam, per centum viginti.

Divi-

Dividiturque in Russiam albam, quæ ad Magnum Ducatum Lituaniæ spectat, & in Russiam rubram, quæ propriè dicitur Roxolania, & ad Poloniam pertinet. Nam tertia pars, ultra Tanaim & fontes Borysthenis posita, dicitur Russia nigra ab antiquis, à recentioribus autem vulgo obtinuit Moscoviam appellari, quod totum illud imperium, quaqua latum est, ab urbe & fluvio Moscua, dicatur communiter Moscovia: quæ olim Sarmatia Asiatica vocabatur. Nostra autem cis-Borysthenica Russia, Sarmatia Europea; & Polonia ipsa, propriè Vandalia. Tota hæc

in universum regio, frugum, ferarum, pecoris, piscium, & mellis copiam infinitam habet, præsertim in Podolia, ubi ex dictamno & aliis benè olentibus herbis ac floribus, ab apibus colligitur. Nobiles audaces sunt & strenui omnes, quin & agrestes ad bellum prompti, loricis, sclopetis, hastis, aliisque plurimis armis, præcipuè autem cuspide venatorum & pharetra utuntur.

RUSSIA RUBRA.

NObilissima hæc provincia, lacte & melle abundans, ab Austro Ungariam, Moldaviam & Bessarabiam habet, ab Euro Scythiæ deserta, & potentissimum Moscoviæ Principem, à septentrione Albam Russiam, Stiro & Pripecio fluminibus disiunctam: ab occasu verò Minorem Poloniam, Visloca & Vepro fluviis, quasi notioribus terminis divisa. Complectiturque in se septem amplissimas satrapias, Russiæ Palatinatum imprimis,

mis, deinde Podoliæ, Volhyniæ, Belzæ, Braſlaviæ, Kioviæ, & Terram Chelmenſem Halicienſemque.

RUSSIÆ ſatrapia habet Senatores, Archiepiſcopum Leopolienſem, Epiſcopum Præmislienſem & Kiovienſem Palatinum Ruſſiæ, & Caſtellanos quatuor, Leopolienſem, Præmiſſienſem, Halicienſem, & Sanocenſem, quia in totidem etiam diſtrictus ſeu territoria dividitur. Et primi quidē diſtrictus, primaria urbs Leopolis eſt, ſita longitudinis gradu 46. l. 49 Habet propugnacula ſatis firma, & arces duas; habet uti diximus ſedem Archiep Catholici, & duorum Epiſcoporum.

nempe Armenici, atque Russici. Hæreticos autem nusquam admittit, nec admisit, ob quod maximè à Sixto V. laudata fuit & insignibus illius donata. Viros litteratos permultos habet, libenterque promovet, & amat eò concurrentes, atque ex eò emporio, civiumque elegantia & humanitate maximè floret. Ignatiani hic Collegium studiosorum habent; sed & Dominicani, Franciscani, Carmelitæ, Bernardini, aliique studia Theologica atque Philosophica diligentissime tractant. Humaniorum verò artium gymnasium urbis, optimos præceptores ex Academia Crac. sumit. Nundinæ

næ hic brumales, pro feſto S. Agnetis celebres fiunt:ſolentque eò ex Ungaria, Moldavia, Turcia, atque aliis orbis partibus ditiſſimi mercatores venire. Cum autem præter fluvios infinitos, habeat Roxolania piſcinas ingentes & ſtagna arte manuque facta ferè innumerabilia, quæ piſces omnis generis pinguiſſimos proferunt, idcirco illi hyberno tempore ſale conditi (cum omnes recentes comedi & ſervari ob multitudinem non poſſint) vaſis ingentibus, cum ad alias civitates, tum maximè nundinarum tempore Leopolim convehuntur, atque demum inde per totam Po-

loniam distrahuntur. Templa in hac urbe pulchra sunt, & vestibus sacris atque vasis argenteis aureisque satis bene ditata, Societat. Clerici, inter reliqua clenodia, casulam gemmis totam atque lapidibus pretiosis variegatam habent, æstimatam aliquot myriades florenorum. Similiter templa alia, multos calices aureos, multaque vestimenta sacerdotalia margaritis distincta habent; sed præcipuè templum Cathedrale mitram Episcopalem ingentis precii gemmis exornatam. FF. verò Minores de Observantia, qui extra urbis muros sunt, templumque magnificentissimum sibi

bi non ita pridem exſtruxerunt, inter alias ſanctorum reliquias, habent quoque ſui inſtituti Fratrem unum, ad altare majus ſepultum, Beatum Ioannem Duclenſem, miraculis clarum. Qui dum viveret, in divini verbi prædicatione inexhauſti planè laboris erat. Eaque fuit in homine jam inde à primis annis pietas & innocentiſſima ſanctitas morum, ut priſcorum Anachoretarum eximium in eo ſpecimen eluceret. Oppida præcipua hujus diſtrictus ſunt, Gliniani, Zloczovia, Zborovia, Grodecia, Komarna, Zolkvia arcem pulcherrimam atque hortos a-

mœnos templumque vario marmore exornatum habens; quamvis & aliæ civitates cum adjunctis sibi castellis non sint planè ignobiles, inter quas Javorovia, celebris tepidarum aquarum scaturigine in pago Sclovia dicto, ebulienti, utili valdè ad curandos varios hominum morbos, ut libro suo testatur, magnæ experientiæ Medicus, Sixtus Leopoliensis.

Secundus satrapiæ hujus districtus est Præmisliensis; urbsque ipsa Præmislia arce in scopulo sita, & duobus Episcopis, Latino sive Catholico, & Russico ritus Græcanici cohonestata est. Adsunt

&

& Ordinis Religioſorum diverſi, præter Venerabile Canonicorum Capitulum. Eſt & Collegium pro ſtudioſa juventute Societatis JESU Clericorum: ſunt & magiſtratus diverſi, tam caſtrenſes quam terreſtres: ſuntque demum cives mercaturæ dediti plurimi: nundinaſque celebres quolibet anno habent, Caſtella hic paſſim nobilium munitiora videbis, ob frequentes Tartarorum incurſiones muris, & propugnaculis firmata, Bialoboki, Soſnicia, Dombrova, Uherce, Prochnicum, Laski, ſed quæ inter excellit Craſicinum, recentioris fabricæ ad Sanum fluvium, palatium, u-

no aut altero milliari à Præmislia. Oppida verò celebriora sunt Samboria, pulcherrimum Minoritarum monasterium habens, Fulstinia, Dobromilia, Visnia, Zidaczovia, Mosciska, Dubiecia, Canczuga, Prævorscia, Iaroslavia, nundinas profesto Assumptionis B. Mariæ Virg. in toto Regno Poloniæ celebriores habens, ubi præter alias merces, è Perside Constantinopoli, Venetiis, Moscovia, & Amstelrodamo apportatas, solent amplius quadraginta millia boum venalium fieri, & medium tantum equorum. Ignatiani hic Collegium studentium habent domum-

mumque reſidentiæ extra urbem & virgines Veſtales monaſterium regia planè munificentia exſtructum: neque arcis fabrica & munitio contemnenda eſt, quam Sanus alluit ab ortu, urbs autem poſita ab occaſu. Sequitur Lancutum templis ab egregio viro Stanislao Lubomirſcio Palatino Cracovienſi magnificè exſtructis, tum Palatio magnifico munitioneque fortiſſima & hortis amœnis exornatum.

Reſovia arce eleganti & monaſteriis, nundinis itidem vernalibus profeſto Sanct. Alberti clara; lactitiniorum hic & linteaminum

magna fieri ſolet copia, quod in toto tractu iſto Germanæ gentis homines pagos inhabitent, capti in bello quodam à Cazimiro magno Rege Poloniæ, deductique è Saxonia cum liberis & uxoribus, ut eam oram incolerent, ut domicilium proprium. Hi itaque pecorum & lini curam magnam habent, & nundinarum tempore, cum ad alia circumvicina oppida venum comportant, tum maximè Reſoviam & Jaroſlaviam.

Tertius, Palatinatus Ruſſiæ, diſtrictus eſt Sanocenſis montibus Ungariæ vicinus, atque ipſi Tranſylvaniæ: ac ob id totus per colles diſpo-

ſitus,

ſitus, excepto qua Croſnam protenditur: quæ urbs in hoc tractu ferè principalior, emporium Ungarorum habet. Quamvis enim illi paſſim merces ſuas & vina, in oppidis ſubmontanæ regionis deponant, huc tamen veteri conſuetudine ut plurimum advehunt. Quare & cives hic paulò ditiores aliis, & nundinæ apud illos reliquis viciniæ populationibus longè celebriores. Habet hic quoque Sodalitas JESU, Collegium artium humaniorum, Sanocum verò ipſum, quamvis territorii caput, multo jam inferius eſt quo ad civilitatem & frequentiam habitatorum, arcem tamen in

ſaxo,

ſaxo, ſupra Sanum fluvium ſitam non contemnendam habet : ſicut & aliæ civitates ejus tractus, Brozovia. Rimanovia, Dinovia, Lesko, quæ indies ob metum Tartarorum munitiones ſuas firmiores faciunt.

Quartus Ruſſicæ ſatrapiæ diſtrictus eſt Halicienſis, montibus Tranſylvaniæ ab occaſu hyberno, à meridie autem Moldaviæ faginis ſylvis cinctus, Tyra fluvio rapidiſſimo è montibus Carpatiis orto, verſusque Eurum in mare Euxinum decurrenti, quaſi per medium ſectus: cujus pars Auſtralior quæ trans Tyrum eſt poſita, vulgo Pocucia appellatur. Oppi-

pida præcipua habet Haliciam à qua denominatur, olim regni Ruſſici caput, Rexque propriè Halicienſis, non Ruſſiæ (quia hæc tota in plurimas tetrarchias ſciſsa, proprios duces habebat, ſed quos inter primatum, & quaſi monarchiam Duces Riovienſes tenebant) nuncupabatur, ut latius hac de re Hiſtoriæ noſtræ, Sed nunc ne veſtigia quidem priſcæ illius magnitudinis apparent. Arx eſt ad Tyram ſita alicujus notæ, ſed oppidum cives habet ſubruſticos agriculturæ, non Mercurio deditos. Similiter Sniatinum, ad Prutum fluvium ſitum, quod pro-

propriè eſt Pocuciæ caput, ſoletque nundinas ſemel in annum non incelebres habere, quod Valachi emporium ibi ſuum, tanquam in vicinia faciant. Unde boum, ceræ, mellis, & equorum generoſiſſimorum copia ingens eò adduci ſolet. Colomia non infrequens civitas ob ſalis cocti copiam, quod inde per totam Ruſſiam & Lituaniam diſtrahitur, quarum omnes ferè ſatrapiæ ſale carent, niſi hic & in Præmiſlienſi diſtrictu conficitur. Sunt itaque pagi nonnulli apud Haliciam, in quibus ex aqua è profundis puteis hauſta ſal decoquitur, & partim in modum farinæ, vel ni-

vis

vis minutum relinquitur, partim in frustula conformatur, & sic divenditur. Conficiturque pluribus in locis Russicæ hujus satrapiæ, nempe apud Riboticios in tractu Præmisliensi, apud Dobromiliam, Samboriam, & Solum, quod etiam à sale nomen habet. In desertis quoque campis Ukrainæ, seu ulterioris Podoliæ, propè Boristhenem, est lacus quidam, cujus aqua sereno & ardente sole, in solidum salem concrescit, quo circumjacentes accolæ utuntur. Sed ad rem nostram. In Pocucia nobiliora loca sunt Martinovia, Dolina, Strium, arcem in paludibus sitam habens. Cis Nestrum autem

aut Tyram, Potocum, arce munita, & templo sodalium Dominicanorum, à Stephano Potucio, Palatino, Braslaviensi, qui ibidem fato functus quiescit, egregie exornatum. Ejusque successorum oppidum & arx Monasterzisca, Uscie, Dobrovoda, aliaque complura castella, inter quæ Buczavia, arce firma conspicua, itemque Podhajecia muro cincta & propugnaculis, atque in vicinia arx Zavalovia non inelegans: tum Brezanum civitas populosa & templum pulchrum & palacium splendidum atque benè firmum habens.

Sequitur deinde PODOLIA continuis barbarorum in-

incursionibus & præliis famosa, quæ, si optata pace posset ita frui, ut occidentaliores Europæ populi, certè nec Italiæ, aut Ungariæ, soli ubertatem & divitias invideret. Habet & marmora diversa atque alabastrum in diversis locis. Dividiturque in tria quodammodo territoria, Camenecense, Trembouliense & Laticzoviense, Camenecia est urbs cum arce, natura loci manuque permunita, triginta milliariis benè longis distans à Leopoli versus ortum hybernum, longitudinis gradu 49 la. 48 Habetque & ipsa duos Episcopos Catholicum unum, & Armenum alterum; gens

enim hæc lucri cauſa libentiſſimè in Regno Poloniæ immoratur, & merces nobis varias, partim è Perſide, partim è regnis Turcæ, præcipuè autem equos generoſos adducit. Habentque hic, prout & in aliis urbibus Ruſſiæ majoribus, ſuum magiſtratum ſeu ſeniores nationis, qui fidem Regi & Urbico magiſtratui pro reliquis ſpondent, & in vitia gentis ſuæ ipſi animadvertunt. Societas quoque JESU collegium hic ſuum habet, & inſtruit artibus juventutem. Secundo ab urbe lapide, eſt arx Potociorum, Paniouce dicta, à Joanne Potocio, inſigni noſtra ætate bellatore, Palatino

tino

tino Braſlavienſi, recenti architectura exſtructa, celebris oppugnatione Turcica, cum anno 1621, bellum cum illis graviſſimũ ad Chotimiam in Valachia haberemus. Tremboula verò Laticzovia, Huſiatinum, Barum à Regina Bona olim fundatum, ubi etiam Jeſuitæ pro juventute informanda collegium habent, Czartcovia, Janovia, Zincovia, Miedzibozia, Ieſupolis Grodecia, Jaſlovecia, Satanovia, Zvanecia, Tarnopolia, Kitaigrodum, Dunaigrodum, & alia complura, hujus Dynaſtiæ oppida, ſingula ferè ob Scythiæ infeſtationem, & quaſi aſſidua bella, non malè permunita

ſunt, habentque arces ſibi adjunctas firmiſſimas, & incolas bello natos, Martique deditos. Senatores hujus ſatrapiæ ſunt tres, qui ad Reipub. Conſilium pertinent, Epiſcopus Camenecenſis, Palatinus Podoliæ, & Caſtellanus Camenecenſis.

BRASLAVIENSIS Palatinatus ultra Podoliam in confinio Tartarorum poſitus, egregias populationes plurimas, atque arces permunitas habet, quas inter eminent, Morachua, Jaroſovia, Zitomiria, Sarogiodum, Felſtinum, Chmielnicum. Braſlavia ipſa, ad Bogum fluvium ſita, atque Vinnicza, conventuum nobilitatis at-

que judiciorum deputatus locus; ubi Societatis quoque Clerici, erudiendæ juventutis collegium egregium habent. Senatores hic duo, Palatinus & Caſtellanus. Diſtrictuſque ſatrapiæ duo, Vinnicenſis, & Zitomirienſis.

Similiter Tartaris vicinus eſt Palatinatus KIOVIENSIS, ſed qui parte ab altera Moſchum quoque habet, & quaſi per medium maximo fluviorum Boryſthene ſecatur. Urbs Kiovia ampla & populoſa ſatis, olim ſedes Ducum ſuorum, qui toti Ruſſiæ ſeu Sarmatiæ, tam in Aſia, quam in Europa, imperabant, Romaniſque ipſis,

ac poſtea Græcanicis Imperatoribus graves; cæterum nunc vix ruinæ veteris illius magnitudinis apparent, eæque paucæ, omnia tempus rerum edax abſumpſit. Eſt hic Archiepiſcopus Ruſſorum, omnium quotquot in Regno Poloniæ Græcanici ritus Epiſcopi ſunt, primas ſeu Metropolita, qui Romano Pontifici obedientiam nunc præſtat. Eſt & Epiſcopus Catholici ritus, qui cum Palatino, & Caſtellano urbis, ad Senatum Regni pertinet. Templa hic tam Ruſſorum quam Latinorum compluria, ſed quorum unum, Archimandrita cum monachis ſuis Schiſmaticis, & rebelli-

bellibus Sedi Apoſtolicæ, occupat, habetq́ue centum pagos maximos adſcriptitios. Sunt hic ſpeluncæ naturaliter factæ in quibus corpora olim Ducum Kioviensium reponebantur, hodieq́ue viſuntur nonnulla integra, quæ illi pro ſanctis venerantur. Extenduntur q́ue illæ criptæ, ſeu ſubterraneæ ſpeluncæ uti ferunt, uſque in Moſchoviam per aliquot decumas milliarium. Monachi illorum (S. Baſilii inſtituti) qui duriſſimam vitam agunt, intrant eas tempore Quadrageſimali ibi ſolitarii pœnitentiam peragunt. Alii vadunt in deſerta, cilicio & catenis ferreis induti, interdum uſque

in Scythiam remotiorem, ut ibi Euangelium prædicent, & martyrio coronentur. Ignatianorum opera, qui Kioviæ suum collegium habent ad Ecclesiæ Unitatem reducti. Habentque plurima monasteria in Russia, sed quorum alia jam sunt in unione cum Ecclesia Romana. Satrapia hæc latè extenditur, tam versus Euxinum mare, in meridiem, quam versus occidentem & septentrionem ad Lituaniæ & Albæ Russiæ confinia: habetque & populata, & arcibus adjunctis permunita oppida plurima, præcipua verò Canioviam, Circassiam, Bohuslaviam, Pe-

Pereslaviam, Bialocerquam, Stepanoviam, ex arte vallo & foſſis munitam, Faſtoviamque Epiſcopi Kiovienſis reſidentiam, unde Jeſuitæ ſuum collegium Kioviam tranſtulerunt. In hac ſatrapia & in ſupradicta Braſlavienſi, plebs aſſiduis bellis exercitata, militares animos gerit, & tam ex oppidis, quam è pagis, in inſulas Boryſthenis congregatur, dantque nomina militiæ gratis, & ſe Coſachos vocant, ſervataque diſciplina veteri partim in Scythiam pedes excurrunt & prædas inde abagunt, partim in Turciam per mare; aut ſi quo juſſi à Rege fuerint. Fit autem

eorum numerus ad quadraginta millia, qui omnes ferè in hyberna domos suas abeunt, paucis relictis in custodiam insularum, ne à barbaris occupentur: militantque Reipub. absque ullis stipendiis sola præda contenti. Quo tamen alacriores ad servitia fierent, solet illis Rex semper bello peracto, certam aliquam pecuniæ summam, ad reficienda arma donare, quo majorem numerum exercitus scribant.

Sed revertendo quasi domum, occidua Kioviæ est VOLINIÆ satrapia, quæ in duos maximos districtus dividitur, Cremenecensem, & Luceoriensem. Habetque Se-

Senatores tres, Palatinum & Caſtellanum Volhyniæ, & Epiſcopum Luceorienſem, qui Cathedram ſuam, cum Capitulo in arcè urbis habet; ibidemq́ue Societatis IESU Clericorum Collegium pro ſtudioſis. In urbe autem ipſa Epiſcopus Ruſſorum. Nec multum inde procul eſt civitas Volodimiria, in qua itidem Ruſſorum Epiſcopus ſedem ſuam habet, & juriſdictionem latè exercet. Reliquæ civitates ſunt Rubeſovia, Socalia veneratione miraculoſæ imaginis B. V. M. nobilis, ſolet enim eò magnus hominum concurſus ſemper fieri, votorum exolvendorum cauſa, procuran-

rantibus ſacra religioſis viris S. Franciſci de obſervantia, quos vulgo Bernardinos dicimus. Hi igitur in inſula fluvii Bug, magnificentiſſimum templum piorum eleemoſynis, & monaſterium propugnaculis firmum, ob metum hoſtium, paucis ab hinc annis erexerunt, templumque illud totum pulcherrimis picturis, vaſis argenteis atque aureis, veſtibuſque ſacris gemmatis ad ſtuporem brevi tempore exornarunt. Sequitur Czartoriſcum, Oleſcum, Crilovia, civitates egregiæ & arcibus munitiſſimis conſpicuæ. Brodi oppidum, à Sta-

à Staniſlao Koniecpolſcio Caſtellano Cracovienſi & Exercituum Duce Supremo inſigni fortalitio, Eccleſia Collegiata & Gymnaſio publico condecoratum. Unde non procul Podhorcenſe palatium cum hortis & aquæductibus egregiis conſpicitur Dux quoque Stanislaus Radivillus Cancellarius Lituaniæ Supremus, in eadem Satrapia civitatem ſuam Olikam arcè munitiſſima atque elegantiſsima Eccleſia Collegiata ſuppellectili aurea celeberrima & Academia bonarum Artium illuſtrem noſtra ætate admodum reddidit. Erecto ibidem

dem Præposito Infulato & Monte pietatis. Sequitur Cremenencia territorii sui caput arcem in Saxo eminentissimo ostentans; deinde Visniovecia, Zaslavia, Constantinovia, Basilea, Dubna, Ostrogium, Zbaravia, quælibet arcem munitissimam & ornatissimam habens, utpote singulæ vetustissimorum Ducum Russorum sedes primariæ, & lares. Et Ostrogium sanè parte ab una (quamvis remotius paulò) Dermanum, monasterium Russicum pulcherrimum habet, in quo instituti S. Basilii monachi, sub proprio Hegumeno, in Schismate, ab Ecclesia Romana vi-

vivunt, habentque poſſeſſiones amplas: parte ab alia Miedireczum oppidum munitiſſimum, in quo Franciſcanis Conventualibus, ultimus de familia Ioannes Dux Oſtrogius, Caſtellanus Cracovienſis, ſumptu (ut ita dicam) regio, templum & monaſterium exſtruxit. In urbe autem ipſa, neptis illius nuper Ignatianæ Societatis Clericis, Collegium pro erudienda juventute, & templum magnificentiſſimum erexit, in quo mariti ſui oſſa Caroli Chodkievicii, viri bellica virtute incomparabilis, cum lachrymis repoſuit.

Iam verò BELZENSIS ſa-

ſatrapia, Leopolienſi diſtri-ctui,& terræ Chelmenſi vi-cina, in meditullio quaſi Ru-bræ Ruſſiæ poſita, urbem ipſam inter paludes ſitam (u-bi ſodales Dominicani tem-plum antiquiſſimum poſſi-dent) & ab ea cognominatos duos Senatores habet. Pala-tinum & Caſtellanum Bel-zenſem; dividiturque facilè in quatuor territoria, Belſen-ſe, Buſcenſe, Grodlenſe & Grabovecenſe, in quibus tot oppida & pagi, ſed hæc prædicta quatuor, ut ſuo-rum territoriorum capita ſunt, ita & præcipua aliis cenſentur eſſe, arceſque ſi-bi munitas adjunctas ha-bent.

Ul-

Ultimum locum Terra Chelmenſis tenet,intet Lublinenſem ſatrapiam, & Lituaniæ confinia poſita, Volhyniam verſus ortum reſpicit. Urbſque ipſa Chelma duos Epiſcopos habet; unum Catholicum, cujus Cathedra non ita pridem Craſnoſtaviam tranſlata eſt : & alterum Ruſſum, qui ibidem manet & templum ſuum Cathedrale tenet. Igitur in duo territoria diviſa, Chelmenſe videlicet, & Craſnoſtavenſe, duos quoque Senatores habet, Epiſcopum,& Caſtellanum Chelmenſem. Oppidaque præcipua Chelma ipſa,Rozana,Vlodavia, Craſnoſtavia, ad Veprum fluvi-

um ſita, ubi & Cathedra E-piſcopi,& arx palatiumve,recentioris architecturæ ſunt. Hic Divæ memoriæ Archidux Maximilianus, cum ad Regnum Poloniæ paucorum temeritate vocatus,cum exercitu hoſtiliter veniret, à Joanne Zamoſcio profligatus, captusque aſſervabatur ſub cuſtodia. Qui quidem prædictus Zamoſcius in vicinia penè ſtatim,urbem Zamoſcium in rure ſuo hæreditario, munitiſſimam fundavit, & mœnibus, foſſis, vallo atque propugnaculis ex arte præſentis Geometriæ communivit, inque ea templum Canonicorum (quorum Decanus infulatus eſt) pro ſumma

ma in Deum pietate magnificentiſſimè erectum, omnibus requiſitis ſufficientiſſimè locupletavit. Et ut erat maximus ingeniorum liberalium educator, artiumque omnium & elegantiarum pater, evocatis Cracovia viris doctiſſimis Academiam inſtituit, & non Zamoſcium modò ſuum, ſed totam etiam Ruſſiam Muſarum ſplendore illuſtravit. Addidit Collegium ſacerdotum & Seminarium Clericorum Catharina Oſtrogia Thomæ Zamoſcii Regni Cancellarii Uxor, auctuſque numerus Profeſſorum & Canonicorũ egregiè. Circumcirca ſunt non contemnenda quoque oppida ut

Scebresinum, Turobinum, Tarnogrodia, Tomasovia, Ctesovia, aliaque complura; sed omnia ferè ad ditionem Zamoscii spectantia, ubi & horros cultissimos, & piscinas restagnantes, & diversorum animalium vivaria, & ferrarias officinas passim videre licet. Similiter quoque & in Uchanie, ubi Illustris olim vir Nicolaus Danielovicz Regni Thesaurarius, templum magnificentissimum exstruxit, & cum preciosissimis aliis donariis, tum argentea suppellectili insigniter ditavit. Palatium etiam hic visitur superbum, & horti amœnissimi; quod commune est omnibus magna-

gnatibus Sarmatiæ. Hic addendam duximus Satrapiam Czerniechoviensem, ultra Borysthenem positam, quam Vladislaus IV. Moschis ademtam Regno Poloniæ adjunxerat atque præterque civitatum Præfectos, duos in ea Senatores, Palatinum videlicet & Castellanum, constituerat, eisque loca in Senatu Regni assignaverat, Catholici ritus compluribus in locis templis excitatis fundatoque pro erudienda inventute Collegio Clericorum Societ. Jesu Novogrodiæ. Sed jam ad Albam Russiam procedamus, quia Czernichoviensis provincia propriè in Russia Nigra posita censenda est.

RUSSIA ALBA.

QUæ Magno Ducatui Lituaniæ adjacet subjacetque Russia vulgo dicitur Alba partim quod incolæ eum colorem præferant, partim quod nivibus campi cooperti diutius quam alibi durent, & inspectantibus omnia alba repræsentent, ut etiam in naturam animalium color iste transeat, siquidem ibi & lupos & ursos, lepores, vulpes, aliaque tam domestica, quam sylvestria animalia passim alba videre est, quæ nihilomi-

minus in aliis locis nata alium colorem habere ſolent. Regio eſt omnium rerum quæ ad victum ſpectant feraciſſima, ſiliginis, hordei, avenæ, tritici, ciceris, canabis, lini, mellis, lupuli, ceræ, pecoris, piſcium, avium, & ferarum, hæque ſunt divitiæ ipſorum, quas, partim Duna fluvio, in Livoniam ad emporium Rigenſe tranſmittunt, partim Nemeno, per Lituaniam, Regiomontem in Pruſſiam. Dividitur autem hæc nobiliſſima provincia, in ſex maximos Palatinatus, ſeu ſatrapias, quarum prima populoſior cæteris eſt NOVOGRODENSIS quæ in duos diſtrictus dividitur: in

Novogrodenſem & Slonimenſem, uterque plurima oppida continet & benè populata, ſed præcipua hæc ſunt, Nouogrodkum, ubi alternatis vicibus, cum oppido Minſco, Parlamentum totius Magni Ducatus Lituaniæ celebratur, & Ignatianorum reſidentia habetur, præter alia Monaſteria Græci & Catholici ritus. Slonimum, Rozana, Selecia, Myſza, Lachovicia, à felicis olim memoriæ viro Carolo Chodkievicio, Generali exercituum Lituaniæ, palatio pulcherrimo, & propugnaculis, ex recenti dimenſione factis, firmiſſimè communita. Similiter Neſuizia, Du-

Ducum Radivillorum nidus, ubi excellentissimus ille & cum omni antiquitate comparandus vir, Nicolaus Christophorus Kadivillus Peregrinus cognominatus, (quod habitu peregrini terram sanctam adierit) complura monasteria sumptuosissima, Xenodochia, Seminaria, Collegiumque Societatis JESU Clericorum, & Bursas studentium, planè regali animo & sumptu erexit, inque cæteris possessionibus suis templis passim refectis aut à fundamentis excitatis, palatium Ducale loco munitissimo moderna architectura exstruxit: similiter prætorium urbis, & arcem Myrh dictam

quarto ab urbe lapide, cum prædiis, villis, hortis, pomariis, piſcinis, & viis quaquaverſum per aliquot milliaria, ad regulam rectisſimè diſpoſitis, foſſas à parte utraque & arbores fructiferas appoſuit, inque media Sarmatia Italiam nobis exhibuit. Novem inde milliariis diſtat Slûckum, urbs omnium quæcunque in Polonia ſunt maxima, ſed tota ferè lignea, templo Catholicorum excepto, & Palatio Ducis. Hæc olim, & jam patrum noſtrûm memoria Principem abſolutum, ſed Regi Poloniæ feudatarium, cum ampliſſimis poſſeſſionibus habebat, ſed ſtirpe non ita pridem defi-
cien-

ciente, ceſſit cum omnibus adjacentiis ſuis, in familiam Ducum Radivillorum. In Slonimenſi verò diſtrictu Rozana Sapieharum nidus cum ædificiis magnificentiſſimis tum viarum rectiſſima diſpoſitione percelebris eſt Monaſteriumque Baſilianorum Catholicæ Eccleſiæ unitorum Divæ Virginis Mariæ imagine miraculoſa per torum Regnum Zyroviciis claret.

Secunda ſatrapia eſt MSCISLAVIENSIS, Pripetio fluvio à meridie & Boryſtheni ab ortu quaſi triangulari forma adjacens, ſylvis tota inumbrata & aquis immerſa, dividiturque in duos

duos districtus amplissimos. Mscislaviensem & Modzirensem: & more cæterarum satrapiarum Lituaniæ atque Russiæ duos Senatores habet, Palatinum & Castellanum Mscislaviensem, Oppida autem præcipua, Cleckum, Ouruckum, Homliam, Criczoviam arcibus pulcherrimis & benè munitis exornata, tum Ostrskum, Mscislaviam ipsam & Modziriam in mediis paludibus sitam. Ager tamen ubique vel innata fœcunditate, vel accuratiore hominum cultu benigne sementem reddit; Pecorumq́ue omnis generis & armentorum abunde habet; sed maxime volucrum & fera-

ferarum sylvestrium.

Tertius Palatinatus est VITEBSCENSIS, sicut & ille superior, ad Borysthenem versus Eurum positus, qui itidem in duos districtus bonos dividitur, Vitebscensem & Braslaviensem; præterque has duas civitates, aut verius unam Braslaviensem (nam Vitebscum ipsum, ob occisum Beatum virum Iosaphat Archiepiscopum Ruthenici ritus Polocensem, quod eos ad unitatem Ecclesiæ Romanæ induceret, amisit jura civitatis & est redactum in pagum, sola arce regia cum jurisdictione relicta) & oppida ignobiliora, habet Mo-

Mohiloviam urbem amplissimam, mercatoribusque plenam, emporio Moscovitarum claram, Præcipuæ siquidem preciosioresque pelles quæ ex Moscovia veniunt, per eorum manus tam in Polonia quam in Germania distrahuntur. Vitepscum ipsum Collegium Societat. JESU habet ex fundatione Alexandri Gosiewski Palatini Smolenscensis, reliquaque hujus provinciæ oppida & civitates, diversorum Religiosorum domicilia, conventus & monasteria. Tum palatia nobilium & arces bene munitas ipsasque populationes fossis & propugnaculis cinctas.

MIN-

MINSCENSIS ſatrapia quartum locum obtinet, præterque ſuum diſtrictum habet etiam Boriſovienſe territorium. Omnium frugum copia dives. Minſcum arcem benè munitam inter aquas habet, aliudque propugnaculum inferius non contemnendum. Eſt hoc enim Ruſſis in more, ut quas vis principaliores civitates ſuas duplici munitione firment, communiſſimè inferiori & ſuperiori arce. Unde & Bariſovia quoque ad fluvium Berezinam ſita, duplex propugnaculum habet, ſicut & Minſcum; quod tamen cives politiores continet, ob concurſum nobilita-

tis

tis, Tribunali seu Parlamento totius Lituaniæ ibi durante. Sic enim consuetudine obtentum est, ut uno anno Parlamentum Vilnæ resideat, altero Minscii aut Novogrodcii vicibus alternatis celebretur. Toloczinum quoque hic, Smolniany, Coidanovia & Turkum haud incelebria oppida habentur; reliqua ferè omnia ignobiliora. Monasteriis tamen & palatiis Magnatorum referta.

Quintum locum occupat POLOCENSIS satrapia, Poloteumque ipsum, ad Dunam fluvium positum, urbem mercatoribus plenam habet, & duplici propugnaculo seu arci-

arcibus firma Archiepiſcopi Ruſſici ſedem in ſe continet: in qua noſtris temporibus Beatus Joſaphat collocatus, ab impiis Schiſmaticis Vitebſcii interfectus, ad meliorem vitam tranſiit. Corpus ejus huc translatum, maximis miraculis claret. Habent etiam in hac urbe Societatis JEsu Clerici, utiles in vinea Domini operarii, Collegium ſtudioſorum, à Stephano Rege erectum. Nec longe admodum Uſujatum civitas egregia cum arce Starzicia, Ueliſia, caput unius diſtrictus, ad eandem ſatrapiam ſpectantis, & duæ incomparabilis olim Herois Caroli Chodkievicii munitiſſimæ

civitates Sclovia atque Bychovia, in quibus non modo progugnacula ex arte recentiori, ſed & templa, monaſteriaque ab illo, nova architectura ſunt erecta. Tum monaſterium Carmelitarum Diſcalceatorum Glebocii, & Franciſcanorum Convent. Ozguæ; præter Abbatias Ord. S. Baſilii.

Ultima eaque maxima ſatrapia eſt SMOLENSCENSIS, Ducatum Severienſem, Terram Czerniehovienſem (utraque autem hæc ſeptuaginta arces continent) & Diſtrictum Orſanenſem in ſe complectens. Smolenſcum ad Boryſthenis ripam in loco editiore poſitum, muro ſex cu-

cubitos lato, quinquagintaque duabus turribus firmum, ſpeculam & propugnaculum in medio urbis, in monte excelſiore habet. Continetque circiter quatuor millia domuum, præter aulas nobilium & templa Religioſorum, tam Ruſſorum quam Catholicorum: inter quæ unum eſt Ignatianorum, cum Collegio pro ſtudioſa juventute. Et ſedes Epiſcopi Ruſſici, qui in ſpiritualibus ſubjacet Archiepiſcopo Polocenſi, tanquam Suffraganeus, & uterque agnoſcit pro capite Romanum Pontificem. Catholicum verò Epiſcopum nuper fundavit Vladislaus IV. una cum Col-

legio Canonicorum profligatis inde numerosissimis exercitibus Moscovitarum. Idque ex destinatione patris sui Sigis. III. qui Conventum Ord. Præd. fundaverat. Sunt & Græci ritus monasteria sexus utriusque, & FF. Min. de Observant: prout & Dorohobusi, atque Starodubi aliisque in locis. Dombrouna quoque oppidum non contemnendum. Sicut & Orsza ad Borysthenem sita (in qua itidem Societatis Jesu Clerici Gymnasium publicum habent) quæ semper fuit in ditione Regis Poloniæ: Smolenscum autem cum toto Ducatu Severiensi, ante an-

nos

nos circiter centum, interceperat Moſchus, ſed Sigiſm. III, Rex noſter modernus, Anno 1611. bello recuperavit, & inſuper Terram Czerniehovienſem; Rumnenſem & Sierpiejovienſem ab hoſte extorſit, & Smolenſcenſi ſatrapiæ adjunxit.

PRUSSIA.

PRussia quamvis eodem cum Polonis regno continatur, peculiare tamen consilium publicum, peculiares leges, peculiaria iudicia, comitia, ærarium, ac belli gerendi rationem diversam antiquitus habet. Estque amplissima regio, plerisque sinuosis flexibus ubique amœna, & opportunis portibus maris Baltici maxime commoda. In latitudinem 50, in longitudinem verò circiter sexaginta milliaribus extenditur. Et ab occasu Pome-

meraniam, ab Auſtro Maſoviam, Lituaniam cum Samogitia ab ortu, à Septentrione demum mare Balticum ſeu Sarmaticum habet. Atque urbium illuſtrium, oppidorum, arciumque frequentia, opimis incolarum divitiis opibusque ac terræ ipſius ubertate, ſupra modum claret. Metallorum quidem ferax non eſt, ſed pecoris omnigeni inæſtimabili copia, piſcationibus, venationibuſque & ſylvis fructuoſiſſimis, atque aëris demum temperie cum amœnitate conjuncta, prædita eſt. Merces quas è Polonia, Ruſſia, & Lituania accipit, maximo ſuo commodo trans mare mittit;

& vicisſim in Poloniam importat, quicquid Europa univerſa, & India dives gignit, omnia fere per commutationem à tranſmarinis mercaroribus accipiens. Hinc vulgo ſimul & nobilitati res ibi lautior quam in reliquis partibus Regni veſtituſque & habitatio cultior; quod totum priſca frugalitas, non modo conſervat, ſed etiam in dies auget. Habet autem Prusſia præcipua flumina duodecim, Viſtulam, quæ Sileſiam, Poloniam, Maſoviam & Prusſiam præterlabitur, Nemenum, ex Alba Rusſia, per Lituaniam & partem Samogitiæ decurrentem, Derevanciam, Elbingam,

gam, Veſeram, Paſſariam, Allam, Prægelum, Oſſam, Drebnicam, Licam & Laviam. Præterea lacus plurimos, piſcibus omnis generis exundantes; in his nominatiſſimus eſt Habus, ad quindecim milliaria in longitudinem, in latitudinem verò duo milliaria plus minus habens: auguſta valdè inſula Neringa à mari diſiungitur, ubi ſuccinum ſive electrum (ambram etiam externi vocant, quam fluctibus appulſam ad littora, homines nudi obviam euntes parvis retibus excipiunt & extrahunt; mollem primum, ſed mox in aëre dureſcentem quæ torno deinde ac ſcalpro

variè

variè conformatur) ſicut & in omnibus Pruſſiæ littoribus colligitur. Eſt & alius lacus aliquanto amplior iſto, cognomento Curonienſis, ſed in Pruſſia Ducali; reliqui omnes ferè minores. Duplex autem eſt Pruſſia, Regia & Ducalis: ſic dictæ, quod hæc Ducem, Marchionem Brandeburgenſem, Regi Poloniæ vectigalem, pro Domino agnoſcat; illa, directè Regno Poloniæ incorporata, neminem pro principe ſuperiore, niſi Regem ipſum veneretur. Et Ducalis ſanè minoribus oppidis frequens eſt admodum, & quidem nec incultis, nec immunitis, quæ ultra ſexaginta numerantur: ha-

habetque metropolim Regiummontem urbem emporio claram, tribusque oppidis & arce magnifica insignem, longitudinis gradu 43, lat. 54. In qua, Academiam quoque Albertus ex Magistro Ordinis Teutonici primus Dux factus An. 1544 erexit: sed quia Hæreticis professoribus regendã commisit, ideo hucusque incognita habetur, nec effloreſcit ingeniis. Cives etiam ibi variis sectis infecti, templa Lutheri adhuc temporibus Catholicis erepta, suis prædicatoribus gubernanda dederunt. Quare Sereniſſimus Rex Sigiſm. III. cum à Duce illo Anno 1621. Homagi-
um

um Varſoviæ reciperet, legem impoſuit ut Catholicis liberum religionis exercitium maneret, Duxque ipſe templum illis à fundamentis erigeret, & omnibus requiſitis ornaret, Clerumque inſuper ſufficientiſſime ditaret. Quod primo ſtatim anno factum eſt ut in poſſeſſionem venit, alias enim Ducatu ipſo privari debebat, ſicut etiam, ſi ſubditis ſuis provocationes ad Regem in cauſis majoribus prohibuiſſet.

Regia autem Pruſſia, tribus ſatrapiis diſtincta eſt, Culmenſi, Marieburgenſi & Varmienſi. Michalovienſe autem territorium eſt in ſa-

trapia

trapia Culmenſi, quæ ad meridiem ſpectat. Varmienſis ad Aquilonem, ſubjecta Epiſcopo ſuo, & ſacro Eccleſiæ ejus collegio, Regis Poloni majeſtatem agnoſcentibus. Media eſt Marieburgenſis, quæ ſola ferè plana & declivis eſt: reliqua Pruſſia pleraque omnis collibus molliter, & ad fertilitatem amœnitatemque commodè diſtincta eſt. CULMA igitur primæ ſatrapiæ caput, ad Viſtulæ ripam ſita, pro ſua amplitudine infrequens civitas eſt, & Epiſcopo paret, qui inde nomen habet: quamvis cathedra ejus ſit in oppido Culmenſi, uno milliario inde

de diſtante. Templa tamen pulcherrima precioſiſque veſtibus ſacris ornata habet, inter quæ minimum eſt illud Monialium, ſed omnium tam quo ad poſſeſſiones, quam ad vaſa ſacra ditiſſimum. Ubi inter veſtimenta alia uſui ſacrorum dicata habent quoque caſulam totam diamantibus maximis pretioſiſſimiſque exornatam, circumductam autem circumcirca catena aurea pulcherrimis gemmis diſtincta. Hujus ſatrapiæ oppida præcipua ſunt Brodnicia, Grudentum, Radinum, Golubia, Rogozna, Brathianum, Covalia, Copriunicza, Lubavia Epiſcopi Culmenſis, quæ omnia

ferè

ferè mœnibus cincta ſunt, & arces validas, beneque exædificatas habent. Sed primarium locum obtinet Torunia, urbs in ripa Viſtulæ ſita, longitudinis gradu 41, latitud. 32. nulli ex urbibus Germaniæ pulchritudine, munitione & divitiis cedens. Plurima hic templa Catholica & Societatis JESU Clericorum gymnaſium non infrequens, ſed mercatores communiſſimè & magiſtratus hæretici ſunt, habentque gymnaſium ſuum, in quo humaniora diligentiſſimè tractant, in ſacris autem ordinariè Controverſias Cardinalis Bellarmini prælegunt. Habent & Bibliothecam

cam instructissimam, in qua duæ Ciceronis Epistolæ in tabulis cereis scriptæ asservantur. Prætorium quoque in hac urbe est elegantissimum, in medio foro situm, quale nullibi videbis: ingressis enim stuporem iniiciunt pavimenta, parietes, laquearia, trabes, ut nihil ad perfectionem architecturæ requiratur.

Secundæ satrapiæ caput est MARIEBURGUM, cum ipsum per se mœnibus turribusque permunitum: tum arce amplissima (in qua præcipui ex hostibus captivi communissime asservantur) & munitissima nobile, situm ad Nogatum brachium

Vi-

Vistulæ, sexto ab urbe Gedano milliario: propterque adjacentis Zulavæ ubertatem, pagorumque in ea frequentiam & cultum, copiosum satis & frequens. Est autem Zulava insula in palustri olim restagnantis Vistulæ solo, operibus & prælti ac firmi aggeris objectu effecta, quæ magno hominum labore, & non sine periculo ab inundatione fluminis defensatur. Est duplex, major & minor. Major vocatur hæc quæ Marieburgo adjacet. Minor autem ea, quæ ad Gedanum est, inter alterum ejusdem Vistulæ brachium, & est quidem tota in possessione & libero

usu civium Gedanensium, Sed antiquitus major ejus pars Ecclesiæ Parochiali debebatur. Oppida hujus satrapiæ sunt primaria, Stuma, Gnievum, Novum, Stargardia, Orneta, sed præcipuè Elbinga, benè permunita & copiosa, splendidisque civium opibus & mercatorum divitum frequentia clara, in qua præter urbis Consulem, Angli quoque suum Magistratum habebant. Fundaverat hic Albertus Primus Dux Prussiæ Academiam Anno M. D. XLII. sed quia Lutheri discipulis gubernandam commiserat, ideo ignobilis hactenus fuit.

Tertia satrapia est VARMI-

MIENSIS Epiſcopa, ſeu principatus ſingularis, habens nobilitatem ab omni regiorum magiſtratuum juriſdictione exemptam, qui jure municipali eodem quo & cæteri Pruſſi utuntur. Primaria urbs eſt Heilsberga domicilium Epiſcopi, (Cathedra enim ſupra Fraumbergam eſt) munitionibus & propugnaculis benè firma. Deinde Brunsberga ad Paſſariam ſita, adeo frequens copioſa & permunita, ut inter primarias urbes Pruſſiæ numerari queat. Collegium Jeſuitarum habet à Hoſio Cardinali fundatum. His urbibus non multum cedunt, Guteſtadia, Alleſteinum, Re-

ſla, Vormita, Melſacum, Vatemberga, Sebergum & aliæ civitates, Capitulo directe ſubjacentes. Senatus itaq; Pruſſiæ, quos conſiliarios terrarum Pruſſiæ vocant, conſtat duobus Epiſcopis, Varmienſi (qui princeps & moderator reliquorum eſt) & Culmenſi: Palatinis tribus, Culmenſi, Marieburgenſi, & Pomeranico (Pomerania ſiquidem iiſdem quibus & Pruſſia legibus utitur, & quaſi pro una provincia cum Pruſſis computatur, ſolo titulo Pomeraniæ excepto,) Caſtellanis tribus, Culmenſi, Elbingenſi & Gedanenſi (& hi ſupra nominati octo Senatores ad Senatum quoque Reipub.

pub. pertinent) & totidem Subcamerariis , Culmenſi, Marieburgenſi & Pomeranico : tribusque demum primariis civitatibus, quarum non mediocris eſt potentia, Torunenſi, Elbingenſi & Gedanenſi. Præter hos autem magiſtratus, habent Pruſſi Theſaurarium, Præfectos arcium, Gladiferos, Iudices & Scabinos; verum ii non pertinent ad conſilium. Palatini autem, qui juriſdictionem exercent, majorem hic in Pruſſia auctoritatem habent, quam in cætera Polonia.

POMERANIA.

POmeraniæ nomine generaliter id totum vocatur, quicquid à Vistula incipiens, usque in Cimbricam, littori maris Baltici adjacet; quod postquam in Germanicæ gentis ditionem cessit, cuilibet parti, inter fluvios majores in mare decurrentes sitæ, peculiare nomen, vel ab eventu, vel à loci natura, pro libitu imposuerunt. Propriè autem nunc Pomerania dicitur, ille tractus, qui inter Oderam & Vistulam fluvios, extenditur ad littus Balticum: cujus partem citeriorem

rem Rex Poloniæ : poſſidet ulterior proprium principem habet, ad Imperium Germanicum ſpectantem. Qui tamen nomine olim Lemburgi & Bithoviæ, Regis Poloni beneficiarius fuerat, jurat atque ritu ſolenni in verba ejus, quemadmodum & Dux Pruſſiæ. Sed nunc jam ad coronam Poloniæ rediit & Provinciæ Pruſſiæ adſcripta eſt ſub juriſdictione Palatini Pomeraniæ. Nam Regiæ Pomeraniæ, quæ iiſdem moribus & legibus cum Pruſſia eſt, nec niſi titulo ſolo ab illa differt, & fluvio Viſtula diſiungitur. Gedanum urbs metropolis eſt, longitudinis gradu 41. latit.

54. maris Baltici emporium celeberrimum, copia & varietate mercimoniorum, partim maritimorum, ex toto occidente & ſeptentrione, partim terreſtrium, ex diverſis mundi partibus, & fluviatilium, maximè Viſtulæ præterlabentis opportunitate abundans; adeo ut ædificiorum tam privatorum quam publicorum pulchritudine, incolarum & externorum multitudine, civium divitiis, propugnaculorum firmitate, machinarumque & inſtrumentorum bellicorum numero, cum præcipuis Europæ urbibus certare poſſit. Quæ cum hæretica tota ſit, Officialem tamen ſeu Vica-

carium Episcopi patitur, & coram illo omnes hæretici variarum sectarum causas suas disceptant, præsertim in materia matrimonii. Quamvis enim hæc satrapia proprium Episcopum non habeat, in spiritualibus tamen tota subest Episcopo Vladislaviensi seu Cujaviæ, qui se etiam Episcopum Pomeraniæ scribit, & in ea non contemnendas possessiones habet: Etiam in suburbanis Gedanensibus: ubi templum & collegium pro erudienda juventute Ignatiani habent, Dominicani autem, Carmelitæ & Moniales in urbe ipsa, sicut & Vicarius Episcopi. Gymnasium hic

Lutheranorum celebre eſt; itemque horologium urbis affabrè elaboratum, & palatium publicum vulgo Gelda dictum. In ipſo quoque maris portu, propugnaculum munitiſſimum exſtructum, Pharum vocant, & firmo præſidio cuſtodiunt: ubi interdum quingentas una die cum mercibus naves appulſas videbis, quæ à præſidiariis excutiuntur, & portorium perſolvunt. Conabatur huc Suecus bello durante irrumpere, ſed à regiis fortiter exceptus, naves aliquot & Admiralem amiſit, qui cum ſua prætoria igni exuſtus fuit; reliquæ fugatæ & ſubmerſæ, captæ verò ſeptem.

ptem. Abundat autem magnopere hæc provincia, piscibus, frugibus, fructibus & sylvis; dividiturque in septem territoria, & totidem judices habet, in Sluchoviense, Tucholiense, Suecense, Dersaviense, Zucoviense, Pusceense & Mirachoviense. Quibus etiam Craina, & Cassubia, tractus terræ non contemnendi, adjunguntur: in quorum illo priore AbbatiaCoronoviensis præpinguis est; in isto præfecturæ aliquot regiæ. Puckum præcipuũ oppidum satrapiæ cum arce munitissima ad mare sita, quam interceperat Súecus, uti locum sibi ad invadendam to-

tam provinciam valde opportunum, ſed virtute noſtrorum expulſus, multis militibus ſuis amiſſis. Nec multum illi cedit Sluchovia, Stargardia, Neimarcum, Meva, Choinicia, Derſavia, quæ arces ſibi adjunctas habent; reliqua non item: niſi quod Amſterinum, bello hoc famam aliquam inter cætera ſibi paria videtur acquiſiviſſe, quod in eo duas Sueci legiones, Koniecpolſcius Polonici exercitus Generalis, integras ceperit, armiſque & ſignis ſpoliatos dimiſerit omnes, præter ductores ipſos. Habet Abbatias quoque hæc provincia prædivites, aſ-

ſa-

fabreque facta monasteria, Olivæ, Pepliniæ, Cistercienſium: Zarnoveciæ ad littus maris, & Zukoviæ, monialium, & quod unicum tantum hujus Ordinis in tota Pruſſia eſt, propè Dantiſcum, Cathuſianorum.

MASO-

MASOVIA.

IN Meditullio quasi regni Poloniæ sita est Masovia, quatuor satrapiis distincta. Plocensi nimirum Palatinatu; Podlachico; & eo, qui peculiariter Masoviæ nomen retinet; atque Terra Dobrinensi.

DOBRINENSIS, occidentalis est, inter Cujaviam & Prussiam posita; inque tria territoria dividitur, nempe in Dobrinense, Ripinense & Libnense sylvas fructuosas complures habet, & lacubus piscosis inprimis abundat: præterque hæc tria oppida, quæ

quæ ſuorum territorium diximus eſſe capita, nullum aliud celebrius habet, niſi illud quod vulgo Skompe vocatur, in quo Minoritæ imaginem Beatiſſimæ Virginis miraculoſam aſſervant, fitq; eo magnus populorum concurſus ex circumjacenti vicinia devotionis ergo. Gurzno etiam oppidum Epiſcopi Plocenſis, (qui in toto illo tractu juriſdictionem ſuam exercet) eſt alicujus momenti, multoſque pagos ſubjectos ſibi habet. Senatores Terræ Dobrinenſis ſunt Caſtellani tres, Dobrinenſis, Ripinenſis & Slonnenſis.

Hinc verſus ortum procedendo, inter Viſtulam & Pruſ-

Prussiam jacet Palatinatus Plocensis, qui in quatuor territoria dividitur, Plocense, Zaucrense, Mlavense & Stenense. Habetque Senatores quinque, Episcopum, Palatinum & Castellanum, Plocenses: deinde Racianzensem & Siepercensem, Castellanos. Oppida ferè omnia ignobilia sunt, præter Sieperciam (ubi imago miraculosa Beatissimæ Virginis habetur, fitque hominum concursus magnus) & Ploscum ipsum, basilica nobile & Episcopo, situm in ripa eminentiore Vistulæ, unde prospectus in partes omnes amœnissimus; quem eo jucundiorem faciunt naves

assi;

aſſiduè huc, illuc tranſeuntes,& pomaria per circuitum urbis diſpoſita, fructus ſapidiſſimos proferentia. Templa hic plurima, & benè ditata, præcipuè Monialium S. Mariæ Magdalenæ in ſuburbano, & Benedictinorum Abbatia in arce,ubi Baſilica quoque ipſa, haud inelegantis ſtructuræ, dives argento & clenodiis, inter quæ viſitur etiam caput S. Sigiſmundi Regis,à Sereniſſimo Rege Sigiſmundo III. loco illi (quod nimirum Baſilica ipſa ſit ſub titulo S.Sigiſmundi erecta) non ita pridem donatum, thecæ auri obryzi incluſum, & planè regali munificentia, gemmis & la-

pidibus prætiosis exornatum. Capitulum hic ferè æquales reditus cum Episcopo habet, nam Præpositus ipse integrum territoriũ possidet, estque supremus Dominus nobilitatis illius, quæ ibi manet. Sicut & Episcopus, Pultoviensis territorii supremus est Princeps, nec ab illo datur provocatio ad Regem: sed ita nobiles sunt illius subditi, sicut & Episcopi Varmiensis; aut Cracoviensis, in Ducatu Severiensi. Jesuitæ hic Collegium erudiendæ juventutis habent, sed est & gymnasium castrense, sub cura venerabilis capituli, qui eo magistros ex Academia Crac. evocant.

Urbs ipſa civili populo abundat qui partim agros, & hortos pomiferarum arborum colit, partim mercaturæ ſtudet, ad quam gnaviter, exercendam loci opportunitas, ipſeque inprimis Viſtula onerariarum navium capaciſſimus incolas invitat. Sulmonum hic & ſilurorum copioſior fit ex piſcatione proventus, Menſe Martio præſertim. Sed & Trocta hic ab egregia pulparum pinguedine maximè commendatur.

Sequitur MASOVIA ipſa, quæ Epiſcopum nullum, Palatinum autem Generalem habet, atque Caſtellanos ſeptem Cyrnenſem,

Vіſnenſem, Varſovienſem, Viſegradenſem, Zacrocimenſem, Ciechanovienſem & Livenſem. In ſpiritualibus autem partim ſubeſt Epiſcopo Poſnanienſi, partim Plocenſi, partim Luceorienſi. Et quia ampla provincia eſt, ideo in duodecim territoria dividitur, in Cyrnenſe, Viſnenſe, Zembrovienſe, Varſovienſe, Nurenſe, Viſſegrodienſe, Zacrocinēſe, Ciechanovienſe, Lomzenſe, Rozanenſe, Macovienſe & Livenſe. Prætérque prædicta oppida, quæ ſuorum territoriorum capita ſunt, habet complura alia notabiliora multo, ut Pultoviam, Epiſcopi Plocenſis reſidentiā latericiis

riciis domibus. & arce in ſco-
pulo pulch è exſtructa , hor-
tiſque ac pomariis amœniſſi-
mis nobilem , quaſi in inſula
Narvæ navigabilis fluvii ſi-
tam,in qua & Societatis JE-
SU Clerici inſigne ſtudium
habent & Collegium Cano-
nicorum templum magnifi-
cum beneque proviſū. Czer-
nienſcum vero ad Viſtulam
ſitum, habet Abbatiam Ca-
nonicorum Regularium di-
tiſſimam: Tandem Minſcum,
Varcam, Vengroviam, Gar-
voliniamque optima cere-
viſia oppida celeberrima : ſi-
militer Stanislavoviam, Bro-
cum, Viſcoviam, Seroiczam,
Lomzam Collegio Igna-
tianorum inſignem; atque

demum Varſoviam ipſam centrum Regni Poloniæ, atque ob id Comitiorum locum privilegiatum, ut ex omnibus provinciis æqualis ſit commeantibus diſtantia. Eſt enim ſita longitudinis gradu 43. latit. 52. quadraginta milliariis à Cracovia & Poſnania. Habetque palatium amplum quadratum, recenter à Sereniſſimo Rege Sigiſmundo III. ſumptuoſiſſimè exſtructum, cum antea tota ferè ſabrica lignea fuerit, itemque extra urbem aliud, Viasdoviæ Viſtulam proſpectans, inter hortos amœniſſimos. Templa quoque magnifica habet, inter quæ primarium S. Joannis Bapti-

Baptiſtæ, Canonicorum ſecularium, picturis & veſtibus ſacris precioſis, pro regia majeſtate exornatum. In ſuburbio, Cracovienſi dicto, verſus Viasdoviam, eſt trophæum victoriæ de Moſchis, capella nimirum, pulchrè juſſu Regio fabricata, in qua repoſitus quieſcit Jo. Demetrius Suiſcius, Magnus Dux Moſchorum, & tot populorum Aſiaticorum Imperator, qui captivus vitam in carcere Goſtiniæ finiverat, unà cum fratribus duobus.

Sunt & in ſuburbiis complura procerum palatia ſolerti artificum Italorum ingenio exſtructa, ſed quæ inter

Regia villa à Vladiſlao I V. nuper extructa interiori elegantia eminet. Tum coloſſus ille quem Divo Sigiſmundo III. Patri ſuo recenter erexit. Habet Maſovia tota quinque & quadraginta millia equeſtrium familiarum, quarum ſi quælibet unum ſaltem virum equo armiſque decenter munitum præberet, quantus in patriæ defenſionem exercitus illico fuiſſet? Et ſicut plurimi, utcujuſque cenſus eſt, qui poſſunt integras etiam turmas armare: præter pedites, quos duplo majori numero urbana ruſticaque plebs præbere poſſet. Sola ſiquidem Praſniſenſis regio ſeptem millia

millia equestrium familiarum perhibetur continere, è quibus nulla tam egens est quin equitem unum in publico tumultu armet. Quos inter Vetustissima Romanorum Valeria familia corvum pro gentilitiis insignibus gestat & tam fœcunda sobole est ut ad duo millia familiarum prope accedat. Gens pugnacissima, & quæ à perdita audacia, mortis contemptrix habetur.

Ultima provinciæ Masoviticæ satrapia PODLACHIA, in spiritualibus tota Episcopo Luceoriensi subjecta, duos tantum Senatores habens, Palatinum & Castellanum Podlachiæ. Di-

viditurque in tres quasi districtus. Drogiczynensem, Mielnicensem atque Bielscensem: quæ etiam tria oppida sunt principaliora, reliqua non item, præter Holovacze, Surasiam, Visokie & Knisinum. Ticocinum quoque oppidum non est postremo censendum, ob elegantiam palatii, inter paludes loco munito exædificati, architecura recentiore, studio & munificentia illustrissimi viri Christophori Viesiolovii, Magni Ducatus Lituaniæ Curiæ Marschalci, qui etiam quarto inde milliari, Bialostocum castellum pulcherrimum possidet, ubi templum, ad elegantiam modernam

nam cum omni ſacro apparatu exſtructum conſpicitur. Et paulò inde longius, Supraslum Ruſſorum in ſylvis ditiſſimum monaſterium, in quo S. Baſilii profeſſi, ſub obedientia Eccleſiæ Romanæ habitant: fitque eo maximus hominum concurſus, miraculis indies inclareſcentibus.

SAMOGITIA.

SAtrapiam ea nullam habet, ſed præfecturas permultas: ſummusque ejus Toparcha, vulgo Capitaneus, locum in Senatu Regni, cum Epiſcopo & Caſtellano, habet, cum præter ipſum

ſum, nullius urbis aut regionis præfecto, locum habere in Senatu liceat, niſi fuerit aliqua alia dignitate majori ornatus, puta Cancellarii, Marſchalci, Palatini, aut Caſtellani. Regio hæc ſatis ampla & fertilis eſt, ſed ſylvis tota inumbrata: à ſeptentrione Livoniæ contermina, marique Balthico: ab occidente Pruſſiam Ducalem in vicinia habet: à meridie & ab ortu Lituaniæ adjacet. Civitates tam Regias, quam nobilium complures habet, ſed penitus omnes ligneas; præter Counam, ad Crononis ſeu Nemeni littus ſitam, collegio Soc. Jeſu, & Monaſteriorum celebritate illu-

ſtris. in qua Germani mercatores, ſuperiori ætate lateribus & lapidibus elegantius ædificare cœperunt : nunc reliqui incolæ quoque eodem ſtudio tenentur, illosque ſuperare contendunt. Sed turba agreſtis in humilibus caſis habitat, quæ ut plurimum ad lacus, rivos, & flumina, ſitæ ſunt, ſtramentis aut aſſerculis intectæ : præter prædia domosque nobilium, quæ ampliores ſunt & cultiores. Terram non ferro ſed ligno proſcindunt, quæ tamen non eſt arenoſa, ſed tenax & fertilis ſatis. Equos adeo parvos habent, ut vix credibile ſit ad tantos labores eos poſſe ſufficere, quibus

foris

foris in bello ad trahenda onera, domique in colendis agris utuntur. Episcopum habent Romanæ obedientiæ, qui, uti diximus, cum suo Castellano & Capitaneo ad Senatum Regni pertinet, & Cathedram suam atque residentiam Medniciæ tenet. In vicinia verò ejus est Præpositus insulatus Ordinis S. Augustini, cruce rubea signatorum, quos non ita pridem, quidam è prosapia Ducum Gedruciorum in rure suo hæreditario adscriptis amplissimis possessionibus, fundavit, quod nimirum in ea religione olim avũ suum paternum, Beatum Michaëlem haberet; qui Cracoviæ

in Conventu S. Marci multis, cum viveret, virtutibus claruit, & non ſine ſanctitatis opinione in eodem cœnobio, ubi ſtrenuum religionis pugilem ſe præbuit, è vivis ſublatus quieſcit. Ad cujus tumulum etiamnum quoque varia miracula patrantur, Deo ſanctorum ſuorum gloriam in dies augente. Eſt & Collegium Societatis JESU Clericorum, pro ſtudioſa juventute à magno illo Heroa Carolo Chodkievicio, Croſis erectum. Qui cum ardentiſſimus veræ pietatis cultor eſſet, etiam Cretingæ, ubi ſepeliri optabat F.F. S.Franciſci de Obſervantia, magnificentiſſimum monaſte-

ſterium, ad littus maris exſtruxit, & divite ſuppellectili, in vaſis tam argenteis, quam etiam aureis, liberaliſſimè dotavit. Sunt & alia plurima religioſorum virorum frequentia inſignia, uti eſt Calvariæ conventus Dominicanorum, Virzboloviæ, Lincoviæ, Gitovianis, Roſienis, Vornis, Telſiis, atque alibi.

LIVONIA.

ULtimo Regno Poloniæ acceſſit Livonia ſeu Lieflandia, regio ampliſſima, ſiliginisque & frumenti perdives, pecoribus ac jumentis domeſticis omnis generis maximè abundans (quæ omnia

mnia deinde fluviis Duina & Nerva ad portus maris, atque inde in Hollandiam, Scotiam & Angliam tranſmittit) lacubus fluviiſque piſcoſis, & ſylvis ad venationem idoneis referta: in quibus habet urſos, alces, vulpes, lynces, marturos, caſtores, & omnis generis animalia, quæ ex Moſcovia veniunt. Siquidem eam ab oriente contiguam ſibi habet, & Nerva tantum fluvio ab illa ſeparatur. A Septentrione cum Sueciæ regno & Finlandiæ Ducatu per maris Baltici ſinum viciniam gerit: Ab occidente nonnihil Pruſſiæ adhæret. A meridie verò Samogitiæ & Lituaniæ jungi-

tur: extenditurque in longitudinem nonaginta milliaribus Germanicis, in latitudinem verò quinquaginta. Et dividitur in octo territoria, Leitlandiam videlicet, Vikeclandiam, Curlandiam, Semigaliam, Estlandiam, Virlandiam, Hariam, Gervandiamque: quæ singula nunc bellis per tot annos sævientibus cum Sueco, atrocissimè vastata sunt, & à diversis Principibus possidentur, hoc est à Mosco, Sueco, Dano, & Rege Poloniæ, qui præcipuas ibi arces & civitates possidet, habetque in ea septem Senatores ad Consilium regni generale pertinentes, puta Palatinum Castellanum

num & Episcopum Vendensem, Palatinum & Castellanum Parnaviensem, & Palatinum atque Castellanum Derpatensem. Ac præterea vasallũ non contemnendum. Ducem Curlandiæ & Semigaliæ. Riga totius provinciæ metropolis, quam fluvius Duina amplissimus unà cum arce alluit: urbs ipsa muro firmissimo propugnaculisque & turribus densis undique munita, item, vallo inexcusso, tribus ordinibus tormentorum apto, fossisque duabus ex utraque vallis parte circumducta, & stipitibus acutis circumsepta. Instrumentisque insuper bellicis, ac tormentis æneis, & com-

meatu copioſo, tum militibus ſtipendiariis, pacis & belli tempore benè proviſa. Magnum in ea eſt & celeberrimum emporium: & quamvis duobus milliaribus diſtet à mari, naves tamen omnigenæ facillimè de mari ſub ipſa urbis mœnia deveniunt & redeunt. Ubi verò fluvius mari illabitur, eſt arx Dunamunda inexpugnabilis natura oportunitateque loci, duobus à Riga milliaribus. In ea omnes naves ex ultramarinis regionibus venientes, merces ſuas indicare, teloniaque perſolvere coguntur: iterumque excutiuntur in Blokaus munitione ſita medio loco inter Ri-

Rigam & Dunamundam. Hæc igitur tam dives atque potens urbs, diverſas hæreſum ſectas in ſe continens, moleſtè ferebat valdè, quod piiſſimus Rex Societatis Jesu Clericos illis dediſſet & Collegium pro inſtituenda juventute in urbe fieri juſſiſſet. Similiter quoque Pernaviæ, Derpati, & Vendæ. Quare metuentes ſibi, ne cura horum patrum, hæreſis ipſorum exſtirparetur, tempore quo nos cum Turca bello graviſſimo in Valachia occupati fuimus, concitatis circum vicinis urbibus ad rebellionem, Suecum ad ſe cum exercitu evocarunt, & ut fautorem ac promotorem

ſuæ religionis portis apertis admiſerunt; unde nobis poſtea bellum cum ipſo difficillimum, non in Livonia modò, verumetiam in Pruſſia, ſimili ſcelere hæreticis urbibus eum ad ſe evocantibus per annos aliquot duravit. Quod poſtea induciis diremptum fuit, & Riga ipſa cum aliis nonnullis maritimis locis, in Sueci poteſtate manſit. Sunt etiam plurimæ aliæ in hac provincia Urbes & arces optimè munitæ, & ex laterculis omnes penè factæ: inter quas cenſetur quoque Kircholmia, ad Duinam fluvium duobus milliaribus à Riga verſus orientem ſita, ad quam

felicis olim & piæ memoriæ Dux exercituum Lituaniæ Carolus Chodkievicius, cum tribus ſuorum militum millibus, aggreſſus Marte aperto Carolum Sudermanum, patrem Guſtavi, ſic eum acie vicerat, ut novem millia cæſorum eſſent, quatuor autem millia captivorum. Penes eundem Duinam ſuperius procedendo eſt arx Kokenhauſum, & paulò longius Volmaria civitas, & caſtrum; utraque ſimiliter clade Suecorum ingenti nobilitata: ad illam enim ſeptem millia una die tranſmarinorum militum cæſa fuêre: ad iſtam ultra duodecim millia occiſa, vix duodecim horis elap-

ſis. Sequitur Derpatum inſignis urbs, & arx in colle munitiſſima, Moſcoviæ contermina, cujus præfecturam, quod hoſtis eſſet in vicinia ipſe prædictus Chodkievicius geſſit, qui & totius Livoniæ Gubernator fuit. Quamvis alius fuerit provinciæ Derpatenſis Palatinus, ſubditorum defenſioni à Rege inſtitutus: Sicut & Vendæ atque Parnaviæ. Et Venda ſane urbs inſignis eſt & arcem firmiſſimam habet, ubi Rex Stephanus, Livonia à Moſco recuperata, Epiſcopum Catholicum inſtituerat, quod tota provincia varias hæreſes amplexa, nullum ſacerdotem Catholicum

licum haberet. Erat ibi & Collegium Societatis Jesu, ſed pulſi ab hoſte in Lituaniam redierunt omnes, Epiſcopus autem in Minori Polonia Abbatiam Ciſtercienſium præpinguem Sulovienſem ſuſtentandi ſui honoris cauſa à Rege obtinuit. Parnavia demum urbs eſt egregia ad mare poſita, quæ & arcem inſignem atque benè munitam habet; ac propterea Palatinum gubernandæ regionis habet, quam ſimiliter Chodkievicius vi recuperaverat à Sueco, cæſo in ea firmiſſimo præſidio. Sed eam iterum nunc Sueci habent. Reliquæ populationes & urbes poſſidentur à diverſis

Principibus ut Nerva cum portu maris & duabus arcibus firmiſſimis à Moſcho; Urbs Revalia cum portu à Sueco: inſula Oſilia à Dano; reliquum quod Lituaniæ conterminum eſt à Rege Poloniæ. Et hæc de provinciis coronæ Poloniæ ſubjectis, deque ſitu & natura earum, nunc breviter videamus & examinemus Polonorum ingenia, opes, vires, leges atque alia quibus regnum ſuum firmant, & tantopere libertatem ſuam tuentur.

INGENIA *Polonorum.*

INgenia Polonorum ſunt aperta & candida, utque

Joannes Boterus in ſuis Relationibus inquit, falli, quam fallere magis apta : minimeque proterva aut pertinacia, ſed tractabilia & placida: unde inprimis exemplis commoventur. Sunt autem principibus & magiſtratibus ſuis ſatis morigeri æquè omniũ provinciarum populi, & ad comitatem, civilitatem, benignitatem, & hoſpitalitatẽ prompti, ita, ut ignotos & externos non modo libenter ſuſcipiant hoſpitio, ſed etiam invitent, & omni officio proſequantur: Et non ſolum ad convictum atque familiaritatem quorumlibet faciles, verumetiam ad mores & imitationem eorum, cum quibus

bus vivunt, externorum præſertim, flexibiles. Teneram ætatulam litteris addiſcendis impendunt, ut vernacula & Latina lingua legere & ſcribere ſciant: unde ne in medio quidem Latio tam multos reperias, cum quibus Latinè loqui poſſis, & ubi tam in Cancellaria Principis, quam in curiis Parlamentorum, inferiorumque omnium judicum ſubſelliis cauſas deciſas, & munimenta lingua Latina deſcripta videas. Adultiores, ſi plebeii ſunt, agrorum cultivationi, opificio, aut mercaturæ ſeſe addicunt: nobiles verò, militiæ, ſacerdotio, & miniſteriis opulentio-

tio-

tiorum. Utrique autem libenter peregrinantur, & earum gentium linguas ad quas perveniunt, cupidè & facilè diſcunt. Sunt enim docilia hominum ingenia, & valent quocunque intenduntur: ſed tamen alienis inventis perdiſcendis ea magis accommodant, quam ut novi aliquid ipſi excogitent, & excellere magnopere ulla re ſtudiant. Nihilominus non defuere nobis inſignes Mathematici, Aſtrologi, Dialectici, Oratores, Poëtæ & Philoſophi; tum Medici, Juriſconſulti, atque Theologi, qui & Rempub. & Eccleſiam, ingenio ſuo atque ſcriptis illuſtrarunt. Ac ſuper-

perſunt etiamnum clara patriæ ſuæ lumina, quorum monumenta quanquam nondum in lucem prodierunt, laude tamen quam merentur non carebunt. In opificiis attamen noſtrates minus elaborant, ſed externis pleriſque opificibus antiquitus uſi ſunt, & utuntur etiam nunc non paucis. Rem porrò familiarem diligentius curare, non ita pridem occœpimus, idq́ue ab extraneis, paſſim quæſtus cauſa ad nos concurrentibus, concitati: unde velut invidia quadam parandis divitiis & avaritiæ totos jam nos ita dedimus, ut quod olim Senatoris filiæ centum marcarum dos fuerat,

rat, nunc ſimplicis alicujus nobilis filiæ (quinimo & mercatoris jam) centum millium florenorum dos eſſe ſolet. Et non modo præſtantiores genere, exoticis pannis & pellibus utuntur, verum etiam inferiores & plebeii ſerico, purpura, & auro veſtiuntur: paſſimque jam equos argento exornari, in vaſis argenteis comedere, argento altaria etiam in villis & pagis onerare, argentoque, auro, margaritis & gemmis veſtiri mos inolevit: nec reſtat aliud niſi ut aurum & argentum comedamus. Cum majores noſtri ſatis haberent, ſi ex agris & prædiis ſuis honeſtè cum familia vi-
ve-

verent, non luxum externorum aut ſplendorem conſectarentur : unde litium nunc origo, & civium aſſiduæ diſcordiæ. Nec rei militaris tanta cura, quanta ſuperioribus ſeculis exſtitit, cum quiſque privatum commodum ſectetur, & cupiditate ductus lucrum non gloriam aut famam bonam quærat. Extitere tamen ſemper, & etiam noſtra hac ætate, multi virtute bellica præſtantes viri (de quibus ſigillatim, prout & de viris eruditis, ſcripſimus) ut Moſchoviticis, Livonicis, Tartaricis, Turcicisq; expeditionibus, atque hoc ultimo bello Pruſſico, videre licuit. Nec emarcuit vul-

go in Polonis vigor ille animorum, laudisq; bellicæ studium, si modo virtuti sua præmia non deessent.

VICTUS & VESTITUS.

VIctus genti nostræ dapsilior ferè omnibus aliis Europæis, atq; ita in mensis ditiorum exquisitus, ut potissimam proventuum suorum partem Magnates, in aromata & vina insumant. Antiquitus siliginei panis, & cerevisiæ ex hordeo aut tritico factæ, promiscuus erat omnibus usus, & quasi quotidianus: nunc jã non elegantiores tantum, sed vulgus etiam ipsum, pane triticeo, atque vino in conviviis utitur; præsertim in urbibus majoribus, &

qui viciniores ſunt Hungariæ. Et plebs quidem vicana, ſuccidia, vervecina, bubula, vitulina, lardo, lactariis, piſciculis, oleribuſque potiſſimum menſam inſtruere ſolet: quarum rerum fora in pagis quoque, apud templa & parecias, feſtis diebus inſtituuntur. At urbanis & nobilitati multo delicatior victus, menſæque eorum cum altilibus omnigenis, tum feris animalibus, avibuſque & piſcibus lautis uſque ad luxum interdum onerantur: aromatumque diverſorum, ſaccari, vini, confectionum, & aliorum exoticorum condimentorum, aut bellariorum, maximus

ximus quotidie usus. Russis tamen & Lituanis, apud quos permagna est apum & mellis copia, mulsum, itidem prout & cerevisia cum lupulo aqua decoctum, infrequenti usu est, medonem vulgo vocant. Vestium verò genus, neque unum est, neque certum, aut suum cuique ordini, conditioni, ætati, & generi hominum: sed prout cuique diviti, aut pauperi placet. Exoticis tamen delectantur ut plurimum nobiles; milites autem potissimum inventores habituum fiunt. Sic quum bellum nobis cum Moscho fuisset, illorum more latas oblongasque togas, pellibus

preciosis, mardurinis, pantherinis aut zebellinis suffultas, prægrandesq; pileos gestavimus. Postea vero quam cum Turcis in Valachia rem gessimus, equorũ ornatus, sagos militares, nonnullasq; oblongas, curtas, & astrictas vestes ab illis, atq; eorũ sociis Tartaris, desumpsimus. Mox bello in Prussiã contra Suecũ translato, laxiores caligas, coriaceas oblõgas ocreas, pallia, atque alia vestiũ genera, Germanico habitui similia, nobis fecimus. Atque sic spatio decennii unius, ter aut quater habitum vestium nostrarum correximus, aut verius corrupimus permutando: cum statim licentiam militarem se-

sequuntur qui domi manse-
re, iuniores præsertim, ne di-
gnoscantur, aut certè vilipē-
deantur ab illis, qui alicui ex-
peditioni interfuerunt. Idem
sanè faciunt & fœminæ, atq;
omnes Europearum matro-
narum habitus sibi usurpant,
& ad suū patrium accommo-
dant, prout cuiq;, tam diviti,
quam pauperi, libet. Commu-
nissimè tamen omnes pannis
extraneis, puta Germanicis,
Flandricis, Gallicis, Anglicis,
Hispanicis atq; Italicis utimur.
maxima autē pars sericis di-
versorum colorum, & panno
aureo. Nec obstat pretium,
quodè longinquo ista veniāt,
cum reperiantur nonnulli, qui
interdum sexaginta vestibus

quam preciosissimis pro sua persona comparatis, etiam famulos suos similibus induant, & potissimam partem bonorum suorum in id ipsum impendant, ut splendidè cum suo comitatu vestiantur, tam fœminæ, quam viri. Ad exornandos siquidem gladios suos, pileos, atque equos, non minus pretiosis gemmis utuntur & auro, quam & filiæ aut uxores ipsorum; quæ clenodiis, torquibus, monilibus, annulis, alioque mundo muliebri nimium delectantur. Et vidimus nonnullas sæpiùs, nec valde divites tamen, totam suam vestem gemmis & lapidibus pretiosis usque

ad talos exornavisse, lex tamen sumptuaria nescio quo pessimo fato nostro in Comitiis Reipub. non præscribitur, cum passim videamus nimio isto luxu, maximas quasvis familias, ad summam deinde egestatem pervenire, cum ingenti opprobrio & dehonestamento majorum suorum. Et non in vestibus modò hunc nimium luxum & prodigalitatem quodammodo habemus, sed in ædibus quoque & fabricis ligneis, quæ nihil sunt, nisi rogus apte compositus ad comburendum: in suppellectili varia, in conviviis & comessationibus, passimque jam laquearia nunc,

nunc, & in privatis domibus auro teguntur: parieteſque ædium non proceres modo, aut principes viri, ſed mercatores jam & urbica plebs pretioſiſſimis aulæis ac tapetibus veſtiunt: Nec in urbibus modo, ſed etiam in villis lautius habitare ſtudent, Italorum ferè opificum opera & induſtria. Jam autem iter facientes, fœminæ quidem carpentis, rhedis, ciſiis, aut curribus junctis ſex equis vehuntur: mares verò vel iiſdem, vel equis potius. Pedeſtrem incedere per viam, longiorem præſertim, minus honorificum vulgo habetur. Prodeuntem in publicum nobilem virum juxta

ac

ac fœminam aſſeclis maribus, fœminam verò etiam puellis pediſſequis ſtipari moris eſt. Et in eum uſum alit quiſque domi ſuæ famulitium pro modo facultatum, quos ſimili colore veſtium, non ſine ſumptu & luxu veſtiri uſitatum eſt. Plebeiis minor eſt hac in parte cura faſtus, atque pompoſæ ambitionis, exceptis urbanis fœminis, quæ & ipſæ benè cultæ, & una aut altera pediſſequa comitatæ incedere ſtudent.

NOBILITATIS
Prærogativa.

POpulus Polonus in equeſtrem ordinem ſive nobi-

litatem, atque plebem distinguitur primò; deinde in Ecclesiasticum & secularem statum. Nobilitas ad regimen atque defensionem patriæ segregata, plebs ad agriculturam, mercaturam, & opificia: ex utriusque autem, ad colendum Deum sacerdotes fiunt. Nobiles, antiquitus vocabantur milites, nunc communissimè dicuntur Equites., ab equestri militia cui sunt obnoxii. Habentque multas & maguas prærogativas, quæ partim regum & principum munificentia firmatæ sunt, partim moribus & institutis invaluere. Censenturque ii tantum nobiles esse, quorum

rum majores virtutis ergo in eum ordinem allecti, gentilitio ſigno donati ſunt: aut qui nunc ipſi hoc meruere virtute ſua, & publico Ordinum Regni conſenſu, militiæ à Principe ſunt adſcripti. Præſtabilius tamen habetur, nobilem natum eſſe, quam factum. Naſci autem patre ſimul & matre nobilibus oportet, legitimo conjunctis matrimonio: quia nothi nobilibus quamvis & illuſtribus orti, non cenſentur in familiis, neque nobilitatis prærogativis fruuntur. Porrò amittitur nobilitas his duobus modis, Principis decreto nimirum, ob admiſſum dedecus

&

& atrox aliquod facinus: & sordidi quæstus cupiditate, si quis videlicet desertis militiæ & agriculturæ studiis, mercaturam amplectatur, aut cauponationem artemve aliquam mechanicam exerceat. Est autem pari dignatione omnis Polonica nobilitas: nec ullum patritiorum, Comitumve, aut Ducum discrimen; omnes jure æquali & libertate gaudent: omnes una simul Regem sibi eligunt, leges in Comitiis per suos Tribunos sanciunt, bella vicinis indicunt, fœdera cum illis statuunt, tributa imponunt, cudendæ pecuniæ modum præscribunt, & omnem penitus

Rei-

Reipub. adminiſtrationem in manibus ipſi habent. Rex tantum cum Senatu judiciis & deliberationibus præſidet, & quæ illi concluſerint, moderatur, & ſua authoritate pondus addit, nomenque tabulis & titulum Regium præſcribit. Item, honores & beneficia diſtribuit, magiſtratus creat, & bonos præmiis pro libitu, malos verò pœnis, nonniſi cum ſcitu omnium ordinum regni afficit: ne fortè, ſi ipſe vitæ & necis jura teneret, ad tyrannidē prolaberetur. Unde neminem è nobilitate captivare poteſt, etiam in crimine perduellionis, niſi jure convictū: nec captum capite plecti, niſi Sen-

Sententiis Senatorum rogatis: qui itidem ſunt ex nobilitate delecti, & paribus prærogativis cum illis vivunt. Quare, multos ex humili loco ac tenui fortuna videbis, non modo ad mediocres, verumetiam ad ſummos nonnunquam honores, ampliſſimasque facultates & opes, Regum benificentia, ob virtutem provectos; paucos autem ob ſcelerum atrocitatem ab illis punitos: quod à nobilitate maxima ſemper honeſtatis ratio habeatur, etſi in ſumma paupertate. Fraudem facere, promiſſum fallere, pejerare, mentiri, probroſum & infame eſt: & ſi quid ejuſcemodi in probri

loco

loco cuiquam objiciatur, præſertim ab ejuſdem ordinis viro, non tam legibus & magiſtratuum judicio, quam ferro manuque vindicatur. Cum autem Rex cauſas & actiones nobilium, per appellationes ad judicium ſuum devolutas, expedire ob occupationes, quæ illi ſemper maximæ, non uſquequaque potuiſſet, conſultum illi eſſe volentes juſtitiæ & rebus ſuis, eam judiciorum formam, non ita pridem adinvenerunt, quæ alibi Parlamentorum eſt, apud nos Tribunal appellatur: quo ſingulis annis, ex ſingulis provinciis, omnium conſenſu viri è nobilitate præcipua eli-

eliguntur, & ad loca jam perpetuò destinata mittuntur, ut causarum differentias secundum leges & statuta decidant. Quod cum sit ultimæ instantiæ, provocatio ab eo non datur: nisi ex paritate sententiarum causa aliqua remittatur ad Comitia Regi & Senatui discutienda atque determinanda. Cum extra Comitia Rex fisci tantum causas cognoscere potest, aut differentias inter tenutarios in bonis suis regalibus: tum quoque çivitatum, oppidorumque Regni controversias, quæ jure Saxonicò utuntur. Quod si Rex quandoque ab officio suo deflecteret, & vel in judiciis,

vel in aliis rebus ac modis, publicas libertates suorum opprimere aspiraret, authoritate Senatoria, qui ad hoc attentandum juramento sunt obligati, & per vices in Regia manere tenentur, facilè prohibetur: sæpiusque illi acerrimè sententias dicunt, cum de Repub. deliberant, & Regem imprudentius regnantem objurgant, atque sic uno consensu, sanctissima majorum instituta, & communis patriæ charissimas leges, ad extremum vitæ defendunt.

LEGES & STATVTA.

LEges olim Poloni scriptas nullas habuêre, sed

ab origine imperii, uſque ad Cazimiri Magni tempora, jus omne in Principis arbitrio erat. Licetque ante ejus tempora, & Chriſtiani jam per longam ætatem fuiſſent, & literarum ſcientias optimè callerent, ut paſſim in Senatu, & magiſtratibus tam ſecularibus quam ſpiritualibus, Doctores legum & artium magiſtri reperirentur. prout in veteribus nunimentis cuique videre licet. Nuſquam tamen lex aliqua aut ſtatutum Principis ſcripto promulgabatur, ſed moribus tantum & conſuetudinibus antiquis regnum adminiſtrabatur: lites verò & cauſæ privatorum, arbitrio bonorum

rum virorum determinabantur, qui Principis jussu, provinciarum Judices erant. Cazimirus itaque Tertius, ob prudentem regni administrationem Magnus cognominatus, primus ipse & nobilibus leges certas scriptas dedit: & urbicæ plebi, jura à vicinis Saxonibus accipere ex facili permisit, quod assiduis supplicationibus Germanorum, qui passim tum in Poloniam habitatum lucri causa veniebant, sollicitaretur, ut similem patriæ suæ urbium administrationē haberent, & inter Sarmatas jurium ignaros, Consulum & Advocatorum honore, advenæ eminerent. Atque

hinc mos invaluit, ut omnes Poloniæ civitates, in hodiernum jure Saxonico (quod vulgo Magdeburgense vocatur, quia ex illa metropoli tum Saxoniæ urbe fuit allatum) tum plebiscitis quælibet propriis, & Constitutionibus Regiis utantur. Nobiles autem, tam ad regimen politicum, quam ad privatorum causas determinandas, jus peculiare suum habent: partim à Regibus superioribus, qui post Cazimirum Magnum, usque ad ætatem Sigismundi Augusti inclusivè regnarunt, vigore legis traditum; quod volumine singulari à viris doctis complexum, Statutum Regni

gni vocatur : partim quod recentioribus & nostris jam temporibus, ipsimet sibi in Comitiis publicis, approbantibus tamen Regibus cum Senatu, conscripserunt, & vocantur Constitutiones. Quæ, pro rei & temporis exigentia, sæpius immutantur, abrogantur, aut reassumuntur, omnes ex æquo provincias regni obligando, licet nonnullæ jura sua pragmatica habeant, præsertim Lituania & Volhynia, quæ in decisionibus causarum, propria statuta sua observant. Tum Prussia quoque, Ducalis juxta ac Regia, quæ omnis fermè jure munipali utitur, quod vulgo Cul-
 mense

menſe vocatur: tribus civitatibus exceptis, Elbinga, Brunsberga & Fraumburgo, quæ jus Lubecenſe amplexæ ſunt.

REGIMEN *Politicum.*

POloniæ regimẽ eſt compoſitum de tribus primis & ſimplicibus Rerumpub. formis, quæ vel unius, vel paucorum imperio, vel multorum omniumve quadam æquabilitate juris continetur. Habemus ſiquidem Regem, non ſucceſſione, ſed electione creatum, qui eſt abſolutus executor legum in Comitiis factorum. Habemus Senatum, è præcipua no-

nobilitate selectum, & ad custodiam earundem legum deputatum. Habemus municipales nuncios, liberis uniuscujusque provinciæ suffragiis electos, & ad statuendas in Comitiis leges velut Tribunos aliquos designatos, qui & Regis potentiam, & Senatus nimiam authoritatem restringunt. Et sic unanimi omnium studio, certis sanè iisque angustis finibus, regia potestas in sacrum & equestrem ordinem, & utrique subjectos homines, atque bona, circumscripta est. Ac in sacerdotes quidem, jam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ, Rex nihil prorsus juris habet. De

equitis verò capite & fama, non nisi in Comitiis cum Senatu judicat: certis aliquot causis exceptis. Senatu verò & Tribunis inconsultis, neque bellum cuiquam facit, uti supra diximus, neque fœdus publicè cum quoquam icit, neque tributa, vectigalia ac telonia nova instituit, neque leges novas scribit, aut monetam signat, neque alienat quicquam de bonis regni neque transcribit quemquam in ordinem equestrem, neque rem ullam majorem ad Rempub. pertinentem statuit aut facit. Benè autem ipse Episcopos & Abbates nominat, Palatinos & Castellanos, Mar-
schal-

ſchalcos, Cancellarios, Theſaurarios, Ducesque militiæ creat, reditus coronæ diſpenſat, & præfecturas diſtribuit, Comitia indicit, magiſtratusque omnes & judices eligit. Denique univerſos Reipub. honores, ſolus prout illi placet & lubet, confert: habetque in manu omnes modos remunerandi, beneficioque afficiendi quoſcunque voluerit.

Porrò Senatores qui Regi adhibiti ſunt, ut & conſilia actionesque ejus, ad ſalutem Reipub. & judicia ad juſtitiæ & æquitatis trutinam dirigerent, numerantur ex omnibus provinciis collecti, tam ſpirituales, quam

ſeculares, centum quinquaginta. Namque tres noviter addidit Vladiſlaus IV. puta Epiſcopum Smolenſcenſem Palatinum & Caſtel. Czernech. Suntque ordinis quadruplicis, Epiſcopi, Palatini, Caſtellani, & Officiales majores, qui omnes jurati ad hoc collegium & ad conſilium admittuntur. Et perpetuum eſt hoc munus quoad vivit quiſque, certis annexum honoribus & magiſtratibus, partim Eccleſiaſticis, partim profanis: abrogari verò nemini poteſt, niſi per maximam vel mediam capitis diminutionem, hoc eſt libertatis civitatiſve, ſive nobilitatis & bonæ famæ amiſ-

sionem: aut si quis alium magistratum honoremve adeptus sit majorem, quem cum priori tenere jure non possit. Sunt autem Archiepiscopi duo, Gnesnensis & Leopoliensis. Episcopi quindecim: Cracoviensis, Cuiaviensis, Vilnensis, Posnaniensis, Plocensis, Varmiensis, Luceoriensis, Præmisliensis, Samogitiæ, Culmensis, Chelmensis, Kioviensis, Camenecensis, Vendensis, atque Smolenscensis noviter fundatus. Qui omnes, quo ordine nunc à nobis enumerati sunt, eum perpetuo servant in Senatu, dicendaque sententia, & in publicis celebritatibus. Palatini, triginta qua-

quatuor. Cracovienſis, Poſnanienſis, Vilnenſis, Sendomirienſis, Caliſſienſis, Trocenſis, Siradienſis, Lancicienſis, Breſtenſis, Kiovienſis, Inoulodislavienſis, Ruſſiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Smolenſcenſis, Lublinenſis, Polocenſis, Belzenſis, Novogrodenſis, Plocenſis, Vitebſcenſis, Maſſoviæ, Podlachiæ, Ravenſis, Breſcienſis, Culmenſis, Mſcislavienſis, Marieburgenſis, Braslavienſis, Pomeraniæ, Miſcenſis, Vendenſis, Derpatenſis, Parnavienſis, Czerniehovienſis noviter à Vladiſlao. I V. inſtitutus, & Capitaneus Samogitiæ, qui ſolus ex omnibus omnium pro-

provinciarum & diſtrictuum præfectis Senatum ingreditur, Caſtellani, tam majores, quam minores, numero octuaginta ſeptē Cracovienſis (qui omnes Palatinos antecedit, primumque locum poſt Epiſcopos, inter ſeculares Conſiliarios capit) Vilnenſis, Trocenſis, Poſnanienſis, Sendomiriēſis, Caliſſienſis, Voinicenſis, Gneſnenſis, Siradienſis, Lencicienſis, Samogitiæ, Breſtenſis, Kiovienſis, Inouladislavienſis, Leopolienſis, Volhyniæ, Camenecenſis, Smolenſcenſis, Lublinenſis, Polocenſis, Belzenſis, Novogrodenſis, Plocenſis, Vitebſcenſis, Cernenſis, Podlachiæ, Ravenſis, Breſcien-

ſcienſis, Culmenſis, Mſciſlavienſis, Elbingenſis, Braſlavienſis, Gedanenſis, Minſcenſis, atque Czernichovienſis. Et hi dicuntur majores, quia cum cæteris Senatoribus, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, ad omnia etiam ſecretiſſima conſilia admittuntur. Minores verò non item, & ſunt iſti, Sandecenſis, Medirecenſis, Viſlicienſis, Biecenſis, Rogoſnenſis, Radomienſis, Zavichoſtenſis, Lendenſis, Sremenſis, Zarnovienſis, Malogoſtenſis, Vielunenſis, Præmiſlienſis, Halicienſis, Sanocenſis, Chelmenſis, Dobrinenſis, Polanecenſis, Præmetenſis, Crivinenſis, Czechovienſis,

Na-

Naclenſis, Roſpirienſis, Biechovienſis, Bidgoſtienſis, Bræſinenſis, Cruſvicenſis, Oſvecimenſis, Camenenſis, Spicimirienſis, Inoulodenſis, Covalienſis, Santocenſis, Sochaczovienſis, Varſovienſis, Goſtinenſis, Viſnenſis, Racioſenſis, Sieprcenſis, Viſogrodenſis, Ripinenſis, Zacrocimenſis, Ciechanovienſis, Livenſis, Slonſcenſis, Lubaczovienſis, Conarienſis terræ Siradienſis, Vendenſis, Derpatenſis & Pernavienſis, Covarienſis terræ Lencicienſis, Conarienſis terræ Cuiavienſis. Hos ſequuntur deinde Officiales Regni majores decem. Marſchalcus Regni Poloniæ ſupremus,

& Marſchalcus curiæ regni : Marſchalcus Magni Ducatus Lituaniæ Supremus, & Marſchalcus Curiæ Magni Duc. Lit. Cancellarius Regni Poloniæ, & Vicecancellarius : Cancellarius Magni D. Lit. & Vicecancellarius. Theſaurarius denique Regni Poloniæ, & Theſaurarius Magni Ducatus Lituaniæ. Palatini dicuntur, veterum Romanorum more, Duces ſatrapiarum : unde munus quoque eorum apud nos idem eſt, eſſe ductores copiarum diſtrictuum ſuorum, in expeditionibus bellicis. Caſtellani verò à caſtellis ſive oppidis, quæ ſinguli ſingula habent attributa, ſic ap-

appellantur : & sunt quasi legati Palatinorum, Ductoresque & præsides nobilitatis sub suo quisque Palatino : Sunt autem in Palatinatu uno aliquando plures castellani. Officiales demum regni, ab officiis & functionibus quibusdam publicis, quibus funguntur, ad universam Rempub. pertinentibus, hanc sumunt communem appellationem. Sed sunt & alii officiales extra ordinem Senatorium positi, trifariamque divisi : alii qui totius Regni, aut Magni Ducatus Lituaniæ officiales dicuntur, ut Exercituum Generales, Referendarii, Pocillatores, Dapiferi, Vexilli-

feri, cæterique ſimiles: alii aulæ Regiæ officiales, ut Camerarius ſupremus, Præfecti & Vicepræfecti Stabuli, Culinæ, Curruum, Venatores, Secretarii: & alii denique diſtrictuum, ſeu provinciarum officiales, ut urbium præfecti, Judices, Gladiferi, Quæſtores, Tribuni, aliique plures quos terreſtres officiales nuncupamus, qui certas ſuas functiones habent, in ſua quiſque ſatrapia ſeu tractu, vel ut vulgo loquuntur, terra: quarum quælibet olim, diſcerpto in multos dominatus regno, ſuum Ducem habuit. Omnes autem iſti tales, ſolius Regis arbitrio creantur, & è ſola nobilitate, qui

qui deinde ad ſenatorias dignitates aſſumuntur : quorũ etiam opera Rex prout illi viſum fuerit, utitur in legationibus, in commiſſionibus, in finibus regundis, in contributionum publicarum exactionibus, in militia ; & id genus muniis publicis. Atque ita potentiſſimus quamvis Rex Poloniæ ſit, & ſupremus omnium coronæ ſubjectarum provinciarum Dominus, tamen ſecundum legem & ſenatus præſcripta vivere tenetur : regnumque ipſum ampliſſimum, licet, regio imperio gubernatur, nobilium nihilominus vigilantia & libertate, tam regia majeſtas, quam ſenatus

authoritas quodammodo temperatur, intraque æquitatis terminos omnes ordines regni cum ipſoRege continentur. Et cum omnibus eadem ſit perpetua & conſtans tuendæ publicæ libertatis,& propagandi imperii voluntas: nihilominus regiam majeſtatem ſic cuncti reverentur,amant,& honorant,ut injuſſu illius nihil penitus in Repub. faciant, pro ejus autem incolumitate & gloria, vitam ac poſſeſſiones privatas omnes effundere ſint parati.

VASALLI.

TRes præcipui vaſalli ſunt Regni Poloniæ. Dux

Dux Prussiæ: Dux Curlandiæ: & Princeps Valachiæ. Duo illi hæretici sunt, tertius iste Schismaticus. Qui omnes, etiamsi Regem, tanquam regni feudatarii, superiorem agnoscant, & honoraria, pensionesque debitas, in signum subjectionis, statis temporibus præsentẽt; non sunt tamen viva membra regni, ut cæteri incolæ Poloniæ: non veniunt ad Comitia regni, ut Principis Consiliarii: non habent suffragia in electione Regis: nec partem in gubernatione regni: nec pro dominis naturalibus habentur, sed pro extraneis, sicut verè sunt, quia deficiẽte in illis prole mascula

(Valachia excepta) Principatus illi ad coronam directè, tanquam membra ad ſuum corpus adjungentur. (uti nuperrimè adjuncta eſt illa pars Pomeraniæ ratione cujus Duces Stetinenſes Homagiũ Regibus Poloniæ præſtabant) Unde ſubditi ipſorum nunc etiam in cauſis gravioribus ad Regem tanquam ad ſupremum Dominum & judicem recurrunt. nec poſſunt tyrannide opprimi à ſuis Principibus. Non item jam Moldaviæ ſeu Valachiæ populi, quia Principes ipſorum Turcam potiùs ſupremum Dominum recognoſcunt, non, ut ante, Polonum; cujus modo majeſta-

tem

tem tantum venerantur, & velut potenti vicino, ſtatis temporibus honoraria mittunt. Olim tributum directè perſolvebant, & à Rege inveſtiti, jurabant in verba ejus: nunc à Turca abſolutè Principatus inſignia, & corporis cuſtodiam habent. Quamvis fœdere æquo inter Polonos & Turcas, etiam ante bellum Chotimenſe in pacem mutuam ſancito, diſertis verbis caveretur, ne provinciam illam cuiquam Turcarum Imperator unquam, præter Poloniæ regis voluntatem committeret: utque is, qui eam obtineret, Regi quoque Poloniæ fidelis eſſet.

RELIGIO.

CHriſtianam religionem Polona gens, abjecto ſemel impio dæmonum cultu, ſeptingentis circiter jam annis conſtanter retinet, religioſeque colit, hæreticarum novationum inſolens & impatiens, avorum noſtrorum ætate, quando Huſſus & Viclefus virus ſuum in Boëmia diffundebant. Sed poſtquam Lutherus, cum aliis ſuæ farinæ hominibus, patrum noſtrũm memoria, per totam Germaniam zizania diſſeminaviſſet, quæ nobis vicina eſt, & commercia ferè quotidiana nobiſcum habet, prætextu ſeu verius abuſu libertatis,

tatis, nescio quæ non pestes Poloniam invaserant, infecerantque mentes hominum nostrorũ, ut per annos complures diversi diversa de religione sentirent, & quisque se judicem & interpretem scripturarum putaret. Sed nunc iterum Deo bono favente, in toto Regno Poloniæ religio Catholica præcipua est: nec in Senatum admitti, aut ad minora subsellia vocari quisquam potest, nisi Romanæ professionis. Et majores nostri, tantæ pietatis statim à recepta fide fuerunt, ut Ecclesiarum Antistites in Senatu locum, eumque primum habere voluerint, ut omnibus consiliis

adhibiti præſentes, diligenter pro ſuo munere animadverterent, ne quid in legibus, aut moribus populi, contra Eccleſiæ ſancita peccaretur. Eandemque ob cauſam etiamnum Tribunaliciis judiciis ſeu Parlamentis, minoris Ordinis myſtas, è ſingulis Cathedralium Capitulorum Collegiis, piiſſimi Reges, intereſſe juſſerunt. Sanctioribusque curis Regni & ſcripturis, priſco more, vel maximè tum, cum pertinaciſſimi hæretici Antiſtites è Senatu ejicere conarentur, cum maxima poteſtate præfecerunt, ita ut & Cancellarii & Procancellarii munus, alternatis vicibus penes

penes Epiſcopos maneret. Majorque Secretarius Regni ſemper ex Eccleſiaſticis eſſet; ſruſtra reclamantibus adverſariis fidei, qui ſub extremam ætatem Sigiſmundi Auguſti Regis ſapientiſſimi, & potiſſimum interregnorum tempore nimium invaluerant. Cæterum diligenti vigilantia ſanctiſſimorum Præſulum, ſapientiumque Regum ſtudio (maximè verò pietate Divi Sigiſmundi III.) vix non omnes jam eradicati fuerunt. Verum Græcanici ritus homines in Ruſſia, & Lituania paſſim legibus antiquis tolerantur, ſicut & Armeni: partim Pontifici Romano

mano per obedientiam ſubjecti, partim non, qui Epiſcopos ſuos, & complures Abbates habent: & ritibus atque inſtitutis Eccleſiaſticis magis, quam dogmatibus religionis à nobis diſſentiunt. Sunt quoque & Hebræi paſſim in toto Regno, & Scythæ Mahometani in Lituania & Volhynia, qui ſuos quoque ritus & ſuperſtitiones habent; ſed qui neminem à fide Catholica avocant, aut malo ſuo exemplo inficiunt, ut aſſolent Hæretici. Fides igitur Catholica in toto Regno præcipua habetur, magnuſque ut par eſt, omnibus ſacerdotibus honor habetur, ſolo ſacerdotii

dotii nomine: & omnes Romanum Pontificem, ut ſummæ ſedis Epiſcopum, ut omnium Epiſcoporum patrem, ut univerſalis Eccleſiæ caput, ut Apoſtolicum reverenter agnoſcunt.

OPES.

NEque magnæ, neq; contemnendæ ſunt opes Polonorum, ſed tales, ut omnes bellorum expeditiones hactenus ſuiſmet reditibus peregerint, ſumptuſque quoſvis maximos in coronationes, nuptias aut ſepulturas Regum ſuorúm, ære proprio exſolverint, nullius vicini populi auxilio egentes. Et quamvis nonnulli Reges noſtri

noſtri, ob nimiam prodigalitatem ſuam, fœneratorum, aut cognatorum Principum pecuniis, ad privatas ſuas neceſſitates aliquando uſi fuerint: nuſquam tamen vel in maximis neceſſitatibus Reſpub. extraneorum emendicabat opem, aut mutuabatur aurum, etiam tum, cum nondum ipſa pecuniam ſignaret. Olim enim proprium non habebant nummum Poloni, ſed externis, & maximè Boëmicis uſi ſunt aliquamdiu, quod metalla minus nota eſſent nobis. Primus Cazimirus Magnus æs & argentum ſignari juſſit, poſtea tandem ſero AlexanderRex, Sigiſmunduſque Senior, au-

reos

reos nummos cuderunt:quorum imitatione Rex Sereniſſimus modo, & argentum ad exemplum Germanorum, & aurum bonitate & pondere Ungaricorum ſignari jubet. Sed utriuſque pretium ſextuplo ferè crevit, quam fuit avorum noſtrorum memoria, ut ſignari cœperat: Partim propter luxum, & crebriorem auri uſum, exportationemque ad exteros: Partim propter deteriorem reliquam monetam, cũ ponderis diminutione, tum æris admixtione. Permagnus eſt autem nunc apud nos uſus externæ monetæ, ſed aureæ atque argenteæ tantum,quæ pro mercibus undelibet impor-

portatur : quanquam commutatione merciũ permulta peraguntur. Exportantur autem è Polonia, ſiligo, triticum, ordeum, avena, milium, papaver, pultes diverſæ atque legumina, lana, linum, canabes, lupulus, coria, ſebum, alutæ, mel, cera, ſuccinum, pix, cinis, mali, aſſeres, cæteraque materies fabricandis navibus, & ornandis domibus apta. Item ſal, cereviſia, vitriolum, nitrum, lazurum, coccus, æs, plumbum, ferrum, cuprum, orichalcum, carbones terrei, vaſa vitrea, equi, boves, verveces, porci, lardum, aliaque innumera quibus vicini & etiam trāſmarini populi à nobis indigent

gent. Et à quibus viciſſim ad nos importantur panni ſericei, aurei, lanei, lineique ſubtiliores, aulæa tapetes, & alia parietum, equorum, & hominum ornamenta, quorum opificia minus exquiſita ſunt apud nos, licet non deſit materia, & aliis gentibus ſuppeditetur. Importantur etiam margaritæ, gemmæ, pelles precioſæ, huſiones ſeu mariani, haleces, & alia ſalſamenta, & vento vel ſole durati piſces marini. Adhæc argentum, aurum, ſtannum, & calybs, cum facta, tum infecta: vina demum & aromata, & varia eduliorum condimenta atque cupediæ, ſine quibus benè poſ-

ſet ſtare patria noſtra, ſi ad veterum Lacedæmoniorum rigorem ordinata eſſet. Cum itaque plures merces noſtras mittamus extra regnum, quam indigeamus externis, eisque non tam ad neceſſitatem, quam ad luxum ſpectantibus, conſequens eſt, ut non penitus inopes dicamur, reſpectu aliorum Europeorum qui & mercimoniis & opificibus diverſis, & metallorum abundantia, & œconomiæ demum diligenti adminiſtratione multò nos antecedunt.

MILITIA.

QUia ſuis rebus contenti, nuſquam bella offenſiva

va vicinis populis Poloni inferimus, nisi fortè prius lacessiti ab illis: idque potius ad ulciscendum injurias, recuperandumq; ablata, quam ut invadamus possessiones eorum, & dominemur illis. Ideo & militiam quoque nostram, defensioni verius patriæ aptam habemus, quam expugnationi urbium alienarum, fortissimorumque propugnaculorum, qualibus vicini nostri confinia sua à nobis muniunt. Proindeque exercitus nostri majori ex parte equitatu constant, qui è præcipua nobilitate est, ut in camposapertos excurrant, procedantque obviam venienti hosti, prius quam ille

fines noſtros attigerit. Pedites autem paucos habemus, eoſque è plebe omnes, non ita ad pugnam, quam ad labores caſtrenſes evocatos, ut nimirum foſſas dum opus fodiant, vallum excitent, pontes conſtruant, vias ſternant, tormenta & impedimenta bellica conducant, atque demum caſtra ipſa cuſtodiant. Quod ſi verò oppugnationem loci alicujus meditamur, tum è Germania aut Ungaria mercenarios nobis pedites adducimus, qui ſunt exercitatiores noſtris. Equitibus autem ſemper contenti ſumus noſtris: qui, ſi generali edicto ex omnibus provinciis ad pro-

propugnandam patriam evocati ſunt, extra fines regni ultra quinque milliaria procedere non debent. Si autem procedere neceſſe ſit, tum ſtatim in Comitiis, quæ ſemper bellum præcedere debent, militem ſtipendiarium decernimus. Qui quidem cum è præcipua nobilitate conſcribatur, ita in pugnis ſolet eſſe animoſus, ut in maximis etiam periculis ſeſe non deſerat, neque animum deſpondeat: & ut audaces fortuna juvare conſuevit, validiſſimos hoſtium exercitus, exigua ſuorum manu in campis adoriatur, & ſæpiſſimè vincat. Sic ſub Divo Sigiſmundo I. (ut hic vetu-

ſtiora omittam) Leſniovius mille quingentis haſtatis, quadraginta millia Moſchorum aggreſſus, in fugam omnes vertit, & novem circiter millia ex illis occidit. Sic Boratinius ſimiliter duobus millibus equitum, tredecim millia Moſchorum adortus, miraculoſam ex illis victoriam reportavit, ſeptem millia occidit, & tormenta bellica omnia ademit. Camenecius ſex millibus ſuorum, viginti quinque millia Tartarorum in acie proſtravit. Tarnovius quatuor millibus, viginti duo millia Turcarum atque Valachorum cecidit, & quinquaginta duo tormenta bellica accepit. Sub

Au-

Augusto autem Rege Sigismundi F. Radivillus septem millibus ad Vlam, triginta Moschorum millia delevit, & arcem ipsam die eadem expugnavit. Et Sapieha quinque millibus Vendam defendit; & viginti quatuor Moschorum atque Livonum millia una acie prostravit. Sub Stephano deinde Rege, Zborovius non integris duobus millibus, totum rebellium Dantiscanorum exercitum, ex transmarinis populis conscriptum una die delevit, & præter captivos ultra octo millia cæsorum in acie numeravit. Denique sub auspiciis Divi Sigismundi III. Zamoscius non totis

ſex millibus Archiducem Maximilianum circiter octodecim millia in caſtris habentem non tantum devicit, ſed & ad deditionem coëgit. Cazigerejum Scytham, cum ſeptuaginta millibus in Poloniam tendentem, in campis Cicoræ tribus millibus ſuorum, ita retudit, ut multis millibus in acie amiſſis ſtatim in Tauricam ſuam rediret. Chodkievicius verò tribus millibus Suecum in Livonia adortus, novem de ejus exercitu ad Kircholmiam occidit, quatuor millia captivorum habuit. Similiter tribus millibus equitũ Zolkievius, octuaginta Moſchorum millia inopinatò ad Cluſ-

Clussiniam aggressus, omnes statim in fugam vertit, & tres Germanorum legiones in eodem hostili exercitu captas cum Duce suo, Comite de Pontibus, ad Regem, Smolenscum duxit. Koniecpolscius quoque nuperrimè in Prussia quinque equitum cohortibus, novem millia Gustavum ad Stumam habentem, audacter aggressus, cæsis ultra mille, in fugam eum turpissimam vertit, & omnia tormenta bellica illius accepit. Et ad Amerstinum in Pomerania, duas ejus legiones nactus, manibus non consertis, ad deditionem statim coëgit, cum non ex integro

duo millia equitum ſecum haberet, peditem omnino nullum. Sic noſtri ſemper hoſtis quamvis validiſſimi impavidi, quem campeſtri prælio, licet exiguis copiis impares alacriter adoriuntur. Et ſunt equites ipſi quaſi in quadruplici differentia: pedites in duplici. Ex equitibus, alii ſunt gravioris armaturæ, & alii levioris: & qui gravioris armaturæ dicuntur, alii ſunt haſtati, & vulgo Huſſari vocantur; & alii ſclopetis tantum armati, & vocantur Harcabuſſeri: utrique autem iſti, ferreis thoracibus atque galeis ſunt veſtiti. Levioris deinde armaturæ, alii ſclopetis oblon-

longis, alii autem faretris & lanceis brevioribus ſunt armati : & utrique loricis induti, atque communi nomine Coſachi appellati. Pedites verò, alii vocantur Haiduci, qui ſunt è Polonia, aut Hungaria conſcripti : alii Coſachi Zaporoſenſes, qui è partibus Ruſſiæ vicinis Scythiæ, ultrò nomina dant militiæ, & ducem ſuum proprium, diſciplinamque caſtrenſem habent. Omnes autem iſti, frameis incurvis ſeu acinacibus, & ſclopetis oblongis in prælio utuntur : niſi quod illi priores, uniformi veſtium colore à Rege donantur : iſti, rudi panno tecti, equos ſinguli ferè

atque currus habent, quibus deinde castra sua muniunt, & in prœliis loco aggeris aut sepimentorum contra potentiam hostis utuntur (Sed hæc sufficientus in Equite Polono ad Urbanum VIII. Pont. Max. perscripsimus) proque occasione & necessitate, partim in equis, partim pedes pugnant: partim denique naviculis suis conscensis maria pervolant, & Turcæ ditiones infestant. Ut igitur omnis ferè equitatus noster (præter servos) è nobilitate est, sic totus peditatus è plebe, præter cohortium ductores & præfectos Haiducorum. Nam Cosachorum Zaporosensium

ſium, uti centuriones, & Chiliarchæ, ſic & Dux ipſe, quem è medio ſui eligunt, plebejus eſt; modo artis bellicæ peritus ſit & fortunatus, alias deponitur ſtatim, & alter illi ſurrogatur. Quē ſequentes, terra & mari Scythas Tauricanos, atque Turcas aſſiduè bello laceſſunt, & maximas de illis ſæpiſſime victorias referunt, adeo ut jam aliquoties Conſtantinopoli noſtra ætate trepidatum fuerit.

VIRES.

POloniæ vires & numero & natura ſunt tales, ut pauca Europæ regna eas æquent, nullum verò ſuperet:

&

& si ordo, qui est anima rerum, melior apud nos esset, proculdubio nos cunctos occidentis populos superaremus. Cum enim ad potentiam & firmitatem cujusque status, requiratur numerositas virorum bellicosorum, abundantia commeatuum, pecuniarum magnitudo, armorum sufficientia, & frequentia munitionum. Nullum prorsus ex prædictis conditionibus, debitè & convenienter habemus, quamvis singulas, præ aliis gentibus, excellentiori quodam modo possideamus. Et quantum ad viros bello aptos, & militiæ peritos: certum est Regem

Poloniæ,posse ducenta equitum millia habere, absque ullis stipendiis, & oneribus publici ærarii: quorum quilibet sumptu proprio, vel eo nomine quod nobilis sit, militare tamdiu tenetur, donec vel bellum finiatur, vel à Rege in hyberna omnes dimittantur. In tanta igitur nobilium multitudine, quæ præter armorum tractionem, aliam professionem non habet, quid mirum si duces bellorum aliunde non quæramus? & optimos imperatores inter nos habeamus? Habituri multo plures & excellentiores, si virtus unumquemque, non divitiæ aut vetustas familiæ, ad dignita-

gnitates & officia Reipub. promoveret: ſed quia pauperem eſſe, vitio ſecnli probroſum eſt, ideo pauci in magiſtratibus præſtantes, pauci in militia clari: illaque ingens nobilium equitum multitudo, quam diximus ob malum Reipub. regimen, nullatenus ſimul convenire contra hoſtem poteſt, nam aliter nudarentur provinciæ, conterminæ potentibus vicinis, quas utique cuſtodire oportet, cum militem in urbibus præſidiarium nullibi omnino habeamus, qui impetum ſupervenientis hoſtis aliquomodo reprimere poſſet, præter paucas cohortes in Ruſſia, quæ excubant

à Scy-

à Scythis. Jam autem hoſtes undique potentes & parum fideles habemus, Turcam, Scytham, Moſchum, Suecum, & Germanicam nationem: quæ licet variis fœderibus, & toties iteratis affinitatibus nobiſcum juncta ſit, ſemper tamen Principes eorum inhiant patriæ noſtræ, & in omnem occaſionem ſunt intenti. Benè tamen poteſt, relictis ad cuſtodiam provinciarum aliis, centum equitum millia in caſtris Rex Poloniæ habere: ut & Vladislaum olim Jagellonem contra Pruſſicos Crucigeros, ad Grunevaldum habuiſſe legimus, cum nondum coronæ Poloniæ, Pruſſia,

Pomerania, Curlandia, Livonia, atque Samogitia, populosissimæ provinciæ junctæ fuissent. Contra eosdem Teutones, filius ejus Cazimirus, præter Russos & Lituanos, ex sola tantùm Polonia, sexaginta equitum millia ad Choiniciam duxerat. Hujus deinde filius Joannes Albertus, octuaginta nobilium millia, ex Polonia & Russia solum, contra Stephanum Valachiæ Principem, collegerat. Frater verò illius Sigismundus I. ex provinciis Magni Ducatus Lituaniæ quinquaginta duo millia contra Moschum ad Orsam conscripserat, cum Livonia nondum nostri juris

ris fuisset, & Curlandia, quæ nunc ad Ducatum Lituaniæ pertinent. Itemque centum millia ad Leopolim habuerat, cum in Valachiam moverit, nulla satrapia Lituaniæ in commilitium evocata, præter aulicos, & voluntarios, qui ultrò Regem suum comitabantur. Similiter ejus filius Sigismundus Augustus, paucis è Russia stipendiariis, cum Duce Nicolao Meletio evocatis, quum in Livoniam contra Teutones Marianos, Lutheri hæresim tum amplexos, expeditionem sumpsisset, centum & viginti millia armatorum, è sola Lituania, eique adnexis satrapiis habuit.

buit. Jam autem noſtra ætate, octuaginta millia armatorum bello civili ad Sendomiriam cenſebantur, cum nihilominus potior pars regni quieſceret, nec ſumerent arma contra Regem provinciæ, niſi proceres quidam; è quorum ordine pars major, aut certè ſanior Regi ipſi adhærebat. Et bello nuper cum Turca durante, cum Divus Sigiſmundus III. generalem nobilitatis expeditionem edixiſſet, vix tres aut quatuor ſatrapiæ ad Leopolim convenerant, & jam numerus ad quinquaginta millia (cum comitatu regio, qui pedites Germanos complures ſecum mercenarios duxerat)

xerat) aſcendebat : quid ſi omnes Regni provinciæ, uti fuerat imperatum, conveniſſent? Sed in iſta multitudine, duo deſiderantur , quæ in bellis gerendis maxime ſunt nociva. Celeritas nimirum, & obedientia : quia & tarde nobiles ſub ſigna conveniunt, Comitiis primò tot hebdomadas celebratis, ſine quibus bellum edici non poteſt: & difficulter ab œconomia ſua, uxoribus, atque liberis divelluntur , uſque tertium edictum expeditionis bellicæ, prava conſuetudine expectantes. Cumque jam ad locum deſignatum convenerint , tum ſe unitos & armatos animadvertens,

aut contra Regem, aut contra Senatum tumultuantur. Vel etiam interdum Reges ipsi, tardius in expeditionem procedunt, & mora tempus elabi ultrò patiuntur; ne vel à nobilitate ob malum regimen exagitentur, vel prætensioni illorum, cum diminutione suorum redituum aliquid tribuant. Unde incommoda ista Resp. prospiciens, stipendiario milite ordinariè bella peragere consuevit, generalem autem nobilitatis expeditionem, in ultimum tantum casum reservavit, ut, si vel tributa non sufficerent, vel hostis ita potens esset ut ei resistere conscripto milite Genera-

neralis belli nequiret, tum ad generalem omnium nobilium expeditionem, tanquam ad ultimum remedium confugiendum putarent. Prout nuper præterito bello Turcico faciendum cenſuerunt, cum barbarus ſexcentorum ferè millium exercitũ in nos duceret, Generalis militiæ cum ſeptuaginta millibus ſtipendiariorum, extra limites regni in Valachiam præmiſſus fuerat, ut eum obvius exciperet. Rex autem in confiniis quaſi, ad Leopolim nobilitatem convocabat, quibus cum ſuppetiatum, præmiſſo exercitui cum filio, ire debuerat. Et ſi tum celerius, uti decretum

erat in Comitiis, supervenisset, profectò majores longè progressus belli fecisset, majoremque sibi ac suis gloriam apud posteros paravisset. Quo autem in ejusmodi expeditiones paratior nobilitas fieret, statutum est jamdudum publico Comitiorum decreto, ut prima post Paschatis festum Dominica, in singulis satrapiis lustratio in armis fieret, & quisque Palatinus suorum provincialium nomina in tabulas referret. Quod, æquè ut & alia instituta patriæ, aut penitus negligitur, aut certe neglectim peragitur, pœna in delinquentes valdè levi assignata. Sic pedestris quoque militia

Augusti Regis invento, tam ex urbana, quàm è pagana plebe delecta ferè jam evanuit, & vix aliquot centena tantùm numerantur, eaque nullius frugi, qui quindecim millia superare debuerant. Reliqui omnes, avaritia præfectorum, censum exsolvere jussi, & rusticanis laboribus adscripti, cingulum militarem deposuerunt. Stipendiis nihilominus conscriptos, egregiè sese in bellis gessisse vidimus, & famem, sitim, æstum, frigus, laboresque castrenses, multo fortiori animo pertulisse observavimus, quam aut Hungari, aut Germani, qui aërem nostrum pati non possunt, &

vel diffugiunt, vel moriuntur. Quod ſi Ordines regni, vellent ſeriò curam rei bellicæ inire, poſſent abſque omni dubio ducenta & amplius, præſtantiſſimorum peditum, è pagis & oppidis deligere, quibus vel maximo hoſti patriæ poſſent facillimè reſiſtere. Experimentum habemus in Coſachis Zaporoſenſibus, qui omnes ruſtici ſunt, è pagis atq; oppidis noſtris collecti, & nulla literatura præditi; nihilominus tamen in caſtris ſuis veterum Romanorum diſciplinam habent, fortitudineque bellica, & rei militaris peritia, nulli in mundo nationi cedunt. Quibus ſi è toto

to regno dilecta juventus adjungeretur, & ſub præfectis atque Chiliarchis nobilibus, in arte militari exerceretur, nullus penitus in orbe Chriſtiano Monarcha, pares Regi Poloniæ vires in ſuo regno haberet. De commeatu verò non eſt dubitandum, quin tantam in bellis multitudinem Rex Poloniæ alere poſſit, cum ſit cuique manifeſtum, Regnum Poloniæ poſſe alia duo ſimilia regna, prout ipſũ eſt, non modo frugibus, ſed & carnibus, & alio companatico ſuſtentare. Nihilominus nos Poloni, in qualibet expeditione bellica fame laboramus, atque ſæpiſſimè res jamjam ad finem

finem perductas, propter commeatuum penuriam, turpiter deserimus. Quod totum procedit ex socordia præfectorum belli, aut potius Reipub. Ordinum, qui dum aliquorsum bellum edicunt, nusquam in partibus illis de commeatu provident, sed quod cuique militi sors offert, id rapit in transitu; & postea sese cum equis & famulis in castris sustentat. Fame verò oborta, aut morbis passim omnes intereunt, aut nolunt obedire Ducibus suis, & dilabuntur. Quod si verò Respub. primum ibi de commeatu provideret, quo exercitum mittere vellet, & commeatus ille, ob abun-
dan-

dantiam rerum omnium, parvo certè conſtaret, & expeditionem propoſitam facile ad finem optatum duceret. Jam autem quo ad pecuniam, parata illa in ærario nuſquam reperitur, ſed tum demum, cum bellum per Comitia edicitur, provincialibus imponitur, vectigaliaque diverſa bello finiendo ſufficientia ſtatuuntur. Sed & hæc ipſa, vel tarde conferuntur, vel non ex integro in ærarium inferuntur, potior pars privatorum cupiditati cedit. Quæ ſi paulò ordinatius colligerentur, atque etiam tum, cum bellum nobis nullum eſt, moderatè imponerentur, & aſſervarentur

tur in promptuariis: profectò & exercitus nostros celerius in hostes educeremus, & militem ipsum obsequentiorem in bellis haberemus: qui dum avaritia gubernantium stipendia sibi retineri vident, facilè in perniciem patriæ conjurant, quod jam sæpissimè sumus experti. Hoc tamen vel maximè Regem Poloniæ in bellis juvat, quod Proceres Regni, & quique nobiles ditiores, soleant integras equitum cohortes & alas, sumptu suo proprio in castra adducere, vel solius patriæ amore. Pauperiores verò, plures una collecti, ducem sibi virum aliquem strenuum eligunt, & ultrò si-

ne ſtipendiis, belli imperatorem ſequuntur, ob id ipſum voluntarii appellati. Quod ipſum & Coſachi Zaporoſenſes faciunt; interdum ad quadraginta millia pugnatorum collecti. Quoad arma autem. Hæc quiſque ſibi privatus curat è Germania, aut aliqua alia gente vicina portari: quia Rex aut Reſpub. nullum armamentarium publicum habet. Sunt tamen aliquot in locis repoſitoria tormentorum majorum, nuperrime à Sereniſſimo Rege Vladislao IV. inſtituta, ſed plura multò & ordinatiora civitates habent: itemque nobiles nonnulli & Proceres

Re-

Regni. Qui, cum bellum edicitur, & ipsi amore patriæ in bellum eunt, & tormenta secum majora, adhibitis omnibus necessariis conducunt. Rex autem quum nullas munitiones magnas habeat, quas armis providere deberet, quócunque expeditionem sumit, habet facilè armorum sufficientiam, aut à civitatibus ditioribus, aut è suis armamentáriis, quæ sparsim pluribus in locis parva ab antiquo sunt ditata. Cumque & Polonia ipsa non sit metallorum indiga, & Germania, quæ illis maximè abundat, statim in vicinia sit posita, non difficulter paratur, quod belli

belli exigentia postulat, magistris artis fusoriæ in regno existentibus. Quantum denique ad munitiones & fortalicia; candidè fatendum est illa omnino in Polonia nulla existere, præter aliquot castella privatorum : idque sparsim per provincias & regnum, ut est Zamoscium, Lancutum, Zbarasium, Nesuizia, Lachovicia, Medirecia, Dubna, aliæque minutiores populationes. Cæterùm tamen facilè potuissent excitari plures, si Resp. in id operam suam intendisset, siquidem & lapidis & calcis, & ferramentorum atque lignorum copia ubique maxima in Polonia reperitur. Quum

autem non ſimus cupidi aliena invadendi, noſtra facilè vel pectoribus noſtris tueri poſſumus; prout & hactenus tutati ſumus, aperto potius Marte cum hoſte decertando, quam vel ſtratagematis utendo, vel propugnaculis ſeſe includendo. Sic Germanos ſæpius patriam noſtram invadere conantes, pectoribus noſtris repulimus. Sic Turcam cum tota ſua potentia venientem rejecimus. Moſchum non tantum retudimus, ſed totum etiam ejus imperium multoties pervaſtavimus. Scythas frequentius Ruſſiam incurrentes, notabiliter caſtigavimus. Valachiam, Moldaviam & Beſſara-

ſarabiam etiam privati multoties depopulati ſunt, & Principes illis pro ſuo arbitrio impoſuerunt. Reſtat ſolummodo Suecus, quem & olim & nuper acie quidem ſemper devicimus, ejicere provincia omnino non potuimus: partim quod ſocordia quadam, ad expugnandas munitas urbes non ſimus apti: partim quod hæreticis illi paſſim faventibus, domeſticos proditores evitare nequeamus: partim quod provinciis illis ſacratorum virorum poſſeſſioni ſemel dicatis, non ſit proſperum penitus, profanos homines iterum frui: partim etiam, quod exardeſcente

vitio ſæculi, hominum cupiditate, minus publicis rebus modò ſimus intenti, quiſque noſtrum privato commodo ſtudet: ex quo procerum aſſiduæ diſcordiæ, nobilium inobedientia, aulæ ſuſpiciones, Principis contemptus, rerum neglectus paſſim. Partim denique, quod Numinis iræ difficile nos ſit contravenire, quæ ob tot ſcelera publica in patria noſtra impunita, hoc, quem minimi ſemper faciebamus hoſte nos punit, & quaſi publica hac caſtigatione, ad reſipiſcentiam benigne impellit. Sed

O mucro Domini, quouſque non requieſces? ingredere

dere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile.

Cogita ſuper nos cogitationes pacis, & non afflictionis, ut des nobis finem & patentiam, & invocabimus te, & vivemus.

FINIS.

G. F.



